This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

6.171 a. 16



E. BIBL. RADCL.

1512 e. 71

# DELECTUS
# OPUSCULORUM
## AD PRAXIN MEDICAM
## SPECTANTIUM

ANTEHAC

APUD GENTES EXTERAS EDITORUM

QUAE

IN MEDICORUM ITALIAE COMMODUM

COLLEGIT

JOSEPHUS FRANK

JOANNIS PETRI FILIUS, AUGUSTISSIMI IMPERATORIS ET TOTIUS ROSSIAE AUTOCRATORIS A CONSILIIS STATUS, EQUES ORDINUM S. ANNAE, S. WLODIMIRI, THERAPIAE SPECIALIS ET CLINICES IN CAESAREA UNIVERSITATE VILNENSI PROFESSOR EMERITUS, PLURIMARUM ACADEMIARUM ET SOCIETATUM MEDICARUM SODALIS.

VOLUMEN TERTIUM.

NOVOCOMI

TYPIS C. PETRI OSTINELLI

MDCCCXXVIII.

## HOC IN VOLUMINE CONTINENTUR:

# EPIDEMIA,

QUAE

ANNO MDCCCXXVI,

URBEM GRONINGAM ADFLIXIT,

IN BREVI CONSPECTU POSITA

A G. BAKKER

PROFESSORE MEDICINAE.

——— ——— Fit morbidus aer,
Atque ea via omnium morborum pestilitasque,
Aut extrinsecus, ut nubes nebulaeque superne
Per coelum veniunt: aut ipsa saepe coorta
De terra surgunt, ubi putrorem humida nacta est,
Intempestivis pluviisque et solibus icta.

LUCRETIUS CARUS de rerum natura
Lib. VI. vsu 1095.

## §. I.

*Opusculi origo ac propositum.*

Magnae procul dubio cuivis Medico utilitatis est morborum popularium historia: phaenomena enim, quae in labefactata singulorum hominum sanitate occurrunt, non raro aliquid obscuri habent atque ambigui: utrum nimirum originem ducant e rebus ambientibus, nec tamen vulgaribus, an vero et in quantum debeantur vitae generi, temperamento, moribus, gestis vel quidquid demum hominem faciat ab homine diversum.

Neque in ipso morborum peculiarium decursu facilius est dijudicatu, quaenam symptomata critica fuerint, quae symptomatica, quid natura fecerit, quid medendi ratio: ubicunque enim agitur de vita ac salute humana, has servare primum, scientiam suam augere accessorium Medici est officium, atque hoc praesertim sensu, cum Hippocrate, experimentum difficile habeatur et judicium periculosum.

In constitutione vero epidemica, morborum radii, in communem focum collecti, tantum lucis spargunt, ut ab heterogeneis ac fortuito accedentibus non aegre separentur quae pertinent ad veram morbi naturam; hanc signa sollicite comparata deinde in apricum ponunt, et in medicina facienda vix quidquam relinquunt incerti.

Nec tamen pauca sufficiunt morborum vulgarium exemplaria: namque ut in locupletissimo naturae organicae thesauro vix aliquid sibi simile est, sic etiam morbi inter se diversi sint necesse est pro causis; sitve hae ex terrae visceribus exsurgant, aut ab astrorum efficacia pendeant, aut mille ceteroquin modis mutabili producantur atmosphaerae conditione.

Praesertim vero nostra Epidemia omnium meretur observantiam: primo enim, post hominum memoriam, tam in urbe quam ruri nulla fuit adeo generalis adeoque graviter simul incolas infestans; deinde, aliis praecellit singulari ejus ac perquam paradoxo ingenio. Est nimirum nec verna nec autumnalis; ab initio ad finem typum sequitur febris intermittentis aut sub ejus dominio est; motu insolito et quasi retrogrado in puriorem intermittentem transit, absque tamen ut benignior inde evaserit; inter eximie malignos minime referenda, neque etiam contagiosa, multis fuit letalis; tot menses

perstitit, quot hebdomadum fere spatio conscripti esse solent; omnium denique primam corripuit urbem, salubritatis fama prae aliis fere celebratam.

Multorum igitur Medicorum, tum patriae nostrae cum etiam extraneorum, desiderio atque exspectationi occurri, si conscripta iis tradatur hujus morbi historia, partim mihi patuit, partim suspicari licebit. Hanc vero rem mihi suscipiendam esse arbitratus sum, quoniam ex omnibus, qui aegrorum curationi operam dederunt ipsi, vix quisquam tanto fruatur otio; me scilicet praxis minus occupavit, praeter mensem Septembris cum sequente; quae pars tantummodo spatii est, quod Epidemia implevit, spatii vero, quo morbi atrocitas ad summum pervenerat.

Ex Epidemiae historia dare quae ipse vidi, iisque meam, de morbi indole et causis quaeque reliquae sunt ejus conditiones, sententiam subjungere animus est; de primo Epidemiae ingressu, de aliis patriae regionibus, de cadaverumque inspectione, aliunde mihi notis, tantum additurus, quantum facere videatur ad rem ipsam illustrandam.

Erroribus qui, in judicando vel in ipsa etiam observatione, remanserint, majore experientia vel vi unita fortiores meliora aliquando substituant, est mihi in votis: in tanta enim

aegrotantium copia rebusque adeo confusis ac pene desperabundis, si unius hominis, mei saltem non est integram omnique numero absolutam conscribere Epidemiae historiam, et cum SYDENHAMO (de morbis epidem. ad finem Cap. 3.), « unum hoc molior, ut quo pacto res se habuit nuper, enarrem, quod ad has scilicet regiones spectat et hanc, in qua degimus, urbem; ut meum, quale quale sit, symbolum conferam ad opus inchoandum. »

### §. 2.

*Generalis soli atque aeris patrii consideratio.*

Si quis patriae nostrae, septem nimirum, quibus quondam constabat, Provinciarum contemplatus fuerit situm in maris Belgici simulque sinus ejus mediterranei litore, ad fluminum ostia ipso flumine multo ampliora, cum insigni lacuum et canalium ubivis reptantium numero; si tantae aquarum copiae addiderit atmosphaeram, tempore brumali vaporibus necessarie gravidam ac nebulis, ex amplissima hac superficie surgentibus, nec raro etiam media aestate vento boreali ex mare de repente adlatis, vix crederet, tantam hominum frequentiam, tam parvo spatio accumulatam, sanitate satis illaesa frui posse vitamque ad solitos naturae terminos producere. Nihilo tamen minus

satis superque historia constitit, morbos populares nostratibus nec frequentiores esse, nec graviores, nec funerum numero insigniores quam in plerisque terrae regionibus.

Hae vero conditiones multo feliciores esse deberent, nisi aquosae atmosphaerae coeloque mutabili, quaeque reliquae sint potentiae nocentes propriae, accederet ipsius fundi in pluribus regionibus inconstantia; quando nempe flumina glacie obstructa aut Oceani fluctus vento coacervati, victo quolibet artis servatricis munimento, terras decliviores aquis penitus submerserint. Notissimum enim est, tali diluvie cum massa aquarum aucta deminui caloris temperaturam, atque hoc pacto increscere morborum nostratibus propriorum numerum.

Nec tamen in solo frigore, humidiori etiam temperiei juncto, morborum nostrorum ponimus causam: jam dudum quippe omnium constitit experientia, multo gravius nos plecti, insolito aestu ad constitutionem hanc, quasi endemicam, accedente; nec mirum: etenim tempore quo sensim sensimque in aera dissipantur vapores aquei meraci, primo loco huic aeri humido simulque frigido mox succedit humor calidus, ad morbos insolitos homines insuetos disponens ac pariter excitans; deinde fundo siccato, tali dispositioni vel morbo etiam

jam ingresso, nova causa adjicitur, miasma nempe specificum, alias in universum naturae morbos producens, quam catarrhales ac biliosos a perspiratione turbata oriundos, quales epidemiae, his terris propriae, esse solent ac saepe recurrere.

Ad nostrum propositum facit inquirere in hujus miasmatis naturam aut saltem originem. Sunt, qui terrae argillaceae seu aluminosae, momento quo siccari incipiat, effluviis, prae aliis inprimis prae fundo arenario, tribuunt specifice nocivam hanc potentiam. Nec desunt quoque exempla, terram argillaceam, eamque valde compactam, qualis agrorum nostrorum fertilitatem facere solet, ardente sole diu exsiccatam, ex hiatu profundo hinc et inde aperto, vapores emisisse ruricolis manifeste nocentes. Argilla autem vix potest quin maxima in culpa ponatur, si comparata fuerit cum solis terris arenosis: praeterquam enim quod sabulum, humore quantum capere possit imbutum, porositate sua aquam facile demittat, quodque reliquum est ardore solis ventisque dispergentibus cito exhauriatur, non obliviscendum est, nostrae experientiae fontes, sitve solum vaporem aqueum spectent vel miasma quoddam specificum, maximam partem in terris argillaceis esse sitos. Primo nimirum maris Belgici fundus ad fluminum ostia ex argilla constat, quae

aquarum recessu, a tempore praesertim vernali ad autumnum usque, saepius nuda jacere solet; ita vero ut, sive maris aestu vel procellis quandoque impulsa aqua, a plenaria siccitate servetur; ejusmodi quoque evaporatio, si diu perstiterit, sua contribuere poterit ad excitandam febrem, hinc inde endemicam, indolis biliosae, quandoque typhoideae, nec raro intermittentis.

Deinde, pars nostrae Patriae fluviis non raro, subinde etiam aqua marina obrui solet; cuius rei proximum atque tristissimum exemplum habemus in submersione, quae accidit circa initium anni praegressi.

A tali diluvio liberae manent terrae sabulosae, ut elevatiores, adfliguntur contra argillaceae; oriuntur morbi aestivi et autumnales, tam certi ac necessarii aeris valde humidi, praesertim si ad vesperam refriguerit, pedisequi, ut e sola causa praesagiri fere queant.

Denique aggerum ac molendinarum auxilio, lacuum fundus itidem argillosus non raro convertitur in fertilissimum agrum; et in nostra inprimis Provincia insignis terrae copia, fluviorum ipsiusque maris alluvie accumulata, simili arte aquarum dominio erepta est, eripique quotidie pergit.

Vapores autem argillaceos solos non esse accusandos, historia nostra, ni fallor, docebit.

## §. 3.

*De situ ac natura agri et Urbis Groninganae.*

Maxima huius Provinciae pars, quatenus comprehenditur flumine Huneso, ostio Amasi ipsoque mari, et canalibus, qui ab Urbe ducunt orientem versus ad Delfsilam, tractuque opposito ad fines Frisiacos, pauculis exceptis, solum habent argillaceum. Regiones contra, quae Frisiam interjacent ac Drentiae plagam occidentalem, sabulo constant limoso. Reliquis, versus meridiem et orientem ab Urbe sitis, praeter agros fertilissimos Dullarti viciniam tenentes, arena est cum terra turfaria.

Haec maris ejusque borealem Provinciae partem cingentis vicinitas, ac situs, quem ager Groninganus occupat ad septentrionales Belgii limites, plurimum faciunt ad explicandam temperiem reliquis Provinciis frigidiorem: non ampla enim est aquosa lacuum superficies, et quamvis agri quidam, praeprimis suburbani, hieme aquis submersi maneant, rari tamen sunt, nisi ad limites Monasterienses, loci vere paludosi.

Urbs cum Provincia id commune habet, ut in solo posita sit, e terra argillacea constanti ac sabulosa. Pars enim ejus ferme dimidia finem occupat dorsi illius elevationis inter flumina Aham et Hunesum; quae pars

est regionis montanae in longam distantiam protractae, nomine Hundsruck notissimae, hic loci omnis generis lapides et locupletissimum continentis petrefactorum thesaurum. Ex regione suburbana boreali, ubi lente desiit, collis hic iuxta lineam fere rectam ducitur per totam urbem, meridiem versus; deinde sensim adscendit ad editiores usque vicinae Drentiae locos, eo cum effectu ut Groningani destituantur radiis solaribus reflexis, quos ab opposito clivi latere accipiunt Drentiae ac Transisalaniae regiones meridionales; qui igitur situs accedit ad mox nominatas rationes, ob quas tempestate fruimur frigidiore, qua hiems longior evadit simulque durior, cum reliquis patriae regionibus comparata.

Tam longe vero abest ut hae conditiones quidquam detrahant de Urbis salubritate, ut potius inter sanitatis praesidia censeri mereantur. Etenim aer humidus frigori iunctus, qualis nostris in terris frequens esse solet, perspirationem non tam facile turbat adsuetis, sanis, bene pastis, suaeque, quod primum est, non alienae terrae more vestitis. Praeterea frigus limites suos habet, quos ultra glaciale fit, simulque humore nocere desinit.

Ut vitae genus, tum varia necessitate cum populari experientia duce, a climate nunquam omnino est alienum, sic etiam victu utimur

paululum duriore; vestitu calido, ac foco, quantum requiritur, semper parato atque egregie nutrito.

Dicta confirmat insignis hominum ad aetatem provectiorem productorum numerus; qualiter etiam habitu forti et faciei colore temperamentum indicatur, ab irritabiliori, nervoso saltem, alienum, atque sic partem faciens temperamenti Batavi, quod, ab exteris generali nimis titulo minusque feliciter, Phlegmaticum appellari solitum, in septem antiquis Provinciis multo magis a se met invicem distat, quam spatium, quo comprehenduntur, inexperto significare videretur.

Qua vero nostra a reliquis, Hollandiae inprimis Provinciae, urbibus magis discrepat, semper mihi visa est talis constitutio endemica, qua exsulant fere morbi Rachitici ac Scrophulosi, paulo frequentiores contra observantur inflammatorii, quaeque ceteroquin in patria nostra rarior est, Angina infantum trachealis.

Maximum autem, quo salubritas urbis probatur, argumentum est in minori morborum vulgarium graviorum frequentia; quo respectu si nostrum comparare voluerimus cum praegressis, adscendendum foret ad Epidemiam anni 1779, quae saeviit in permultis patriae regionibus; Dysenteria vero, frequentissimum et maxime perniciosum ejusdem morbi symptoma,

ut in paucis aliis urbibus, sic etiam Groningae rarius fuit observatum.

## § 4.

*Morbi initium, progressus, letalitas, in variis Provinciae locis.*

Tempore vernali usque ad aequinoctium ruri omnia fere sana, praeter adfectionem indolis typhoideae, praesertim in pago Warfum ad septentrionales Provinciae fines, nec tamen gravem, et inopi vitae generi maxime tribuendam. In aliis, Zyldyk, het Zand, Godlinse, Zeeryp, eodem tempore regnavit Scarlatina benigna.

Ab ineunte mense Iulio, in pagis Middelstum, Warfum, Kantens eorumque vicinia aliquot infantes Tussi quinta perierunt. Aat circa medium hujus mensis ad ejus finem, aegrorum unius Medici curae commissorum numerus a 30 ad 250 fuit auctus (1). Eodem fere tempore morbus adparuit in circulo Dammonensi, simulque in parte boreali regionis Hunesgoniae, absque tamen ut vicinis ei Fivelgoniensibus pepercerit. Abhinc tendere visus

(1) Pro morbi ruralis hac Historia gratias nostras accipiat Doct. E. Wichers, in regione Middelstumensi praxin medicam atque obstetriciam feliciter exercens, qui mihi roganti quam humanissime eamdem exponere voluit.

ctus meridionales, ad occidentem si-
gens, atque sic, diversa tamen ve-
universam fere Provinciam occupare.
tia ex hisce praesertim notanda ve-
mo, pagum Kantens ac vicinos fu-
nero reliquis longe fuisse superiores,
hisce, nominatim Stitswert, Zande-
Eppenhuizen pars circiter $\frac{1}{25}$ incola-
uerit; majorem vero circulum Dam-
accepisse cladem, ubi in solo pago
pars civium periit.
, ex utriusque mox nominatis se-
libus Provinciae regionibus, morbo
orasse
os Garsthuizen, Stedum, Middelstum,
dam; quamvis postremo loco, qui $\frac{1}{58}$
do incolarum morte perdidit, maxi-
aquae potabilis inopia.
ionis Hunesgomiensis partem occi-
quae Marnensis quondam fuit Prae-

os mari proxime adjacentes: ita ut
uique levius adfecti fuerint incolae
imae universae et agrorum arte ex-
: quales sunt Ulrum, Vierhuizen,
n, Noordpolder, cum reliquis agris
pagi Uithuizen, inter aggerem vete-
novum sitis, a Zoutkamp usque ad
qui tamen ipse locus, respectu

etiam Epidemiae, circulo Dammonensi adnumerandus est.

Ex hisce elucet, morbum sedem suam primariam habuisse in plaga Provinciae septentrionali, ibidemque maximo furore saeviisse in parte fere media, urbem inter et litora maris, sive ab iis ad distantiam circiter 15,0 kilometrorum.

§. 5.

*Epidemiae, qualis intra muros erat, conspectus.*

Quae anni praecedentis autumno observata est, febris Tertiana benigna, Quartanae hinc et inde intermixta, paucis mutatis continuavit per primas hujus anni menses. Nec etiam aucta fuit mortalitas ante initium mensis Iunii, quando Diarrhoea regnare incepit, infantibus prae aliis infesta, iisque saepe letalis. Interea circa medium Iulium febris Epidemica simul increscebat, morbi gastrici nunc aut biliosi faciem prae sè ferens, cum cephalalgia, etiam vehementiori. Remittentis formam etsi adsumsisset febris, quibusdam etiam Hemitritaei, nihilo tamen minus larvatam proprie esse Intermittentem vel intermittentis imperio subjectam, periodus non raro docuit, magisque etiam medendi ratio.

Diarrhoeâ nunc multum deminutâ morbi

principalis conditio per mensem integrum continuavit sine notabili mutatione; quando, circa medium Augusti, sensim sensimque speciem ferre incepit febris manifestius intermittentis, Tertianae ut plurimum simplicis vel duplicatae typum servantis. Tantum vero abest ut, cum forma morbi mutata, in meliorem partem abierit epidemiae status, ut insigniter increscente aegrotantium numero, variisque causis, de quibus deinceps, accedentibus, ab hoc tempore per duos menses et supra, summum adscenderit perniciei atque letalitatis gradum.

Sequens est imago morbi, qualis erat atrocissimo Epidemiae statu.

Febris de repente solet invadere, cum frigore brevi nec vehementi; pulsus non valde frequens; dolor capitis, dorsi et extremitatum, inprimis inferiorum; lingua mucosa; vomitus quandoque, non raro in accessu, nonnullis contra ad finem paroxysmi, plerumque biliosus.

Etiamsi hanc polycholiam, sitve a praegressa hepatis adfectione residuam vel recens productam, hoc modo saepius evacuaverit natura, valde tamen falleretur, qui emesi arte excitata naturam quasi imitari voluisset; neque etiam Cathartica utilia erant, nisi forsan ex debilioribus, si quando alvus non responderit. Optime contra succedebant Sambucina,

Acetum, Acetis vel Murias Ammoniae, cum Valeriana, Camphora, Papaverinis, Aethere sulphurico alcoholico, similiaque diaphoretica, leniter excitantia. Haec quoque egregie medebantur Diarrhoeae, in quam hocce etiamnum tempore proni non raro erant aegri, quaeque, pueris praecipue, nonnunquam abiit in Dysenteriam, nec gravibus tamen tenesmis notatam, ac solo fere collapsu virium letalem. Plerique autem tali remediorum genere incassum tentati, accepto Sulphate chininae mox bene valebant, relicta tamen insolita debilitate, in iis etiam qui tres tantum vel quatuor paroxysmos erant passi.

Difficile est dictu utrum, ex eadem hac febre mitiore, deinceps oriatur malignior seu magis periculosa, an vero haec a priori jam ab initio diversae fuerit naturae: namque paroxysmo ingredienti similia fere semper esse videbantur symptomata; experto tamen in solo pulsu subinde observari potuit nescio quid heterogenei, paululum tensi ac statum quemdam denotantis obscure spasticum, qui continuabat per stadium quoque sudoris seu relaxationis universum. Talis febris mox transire solet in tertianam duplicatam admodum insidiosam, praesertim quia nullo fere symptomate proprio ac facile conspicuo significabatur: praecipua enim adfectio erat Cephalalgia vehemens,

lancinans, frontalis, inter capitis tempora inprimis furens, et epistaxi quandoque levanda; nec tamen magis quam ipse typus febrilis certum haec fuit malignitatis indicium. In universo igitur hoc rerum statu tutissimum nisi unicum remedium est, ut Sale specifico, circa finem paroxysmi sumto, febris mox juguletur; quod fere semper successit, dummodo non nimis parca manu, ac dosi periculo morbi accommodata (gr. XV—XXV circiter duorum paroxysmorum intervallo), adhibitum fuerit; quandoque tamen accidit ut, non sufficiente apyrexiae spatio, subsequens paroxysmus non mediocri, nec tamen periculosa, notaretur anxietate.

Sin vero febris sibi soli relicta, vel evacuatione gastrica aut sanguinea (exceptis nonnunquam Hirudinibus, capiti vel collo admotis) aliisve debilitantibus perperam fuerit tractata, sequens paroxysmus mortem non raro adfert apoplecticam, aut statum comatosum, vel diarrhoeam, cum dysenteria, delirio ac celerrimo et letali virium lapsu, nisi febris, nec meliori eventu, in remittentem vel hemitritaeum prius fuerit conversa.

## §. 6.

### *Inquiritur in morbi naturam.*

Ad nostrae epidemiae characterem referri meretur, quod parcissimus sit, si paucos morbillos benignos exceperis, morborum intercurrentium numerus; nec frequens quoque fuit alia ipsius intermittentis periodus. Sin etiam typum nostrum cardinalem mutatum vidimus in continuae vel hemitritaei speciem, non saepe, in praxi saltem privata, observata est morbi proclivitas in indolem typhoideam. Cuius tamen rei causa non quaerenda est in usu Specifici, quo hodie gaudemus, antifebrilis: quantumvis enim immensa huius remedii copia consumta sit, quanta nunquam certe in aliqua epidemia alicui pharmaco acciderit, restabant tamen mille aegri, quorum morbus jam ad Acmen pervenerat vel morte finitus erat, ante quam Medico aut medicamine uti potuissent, quin etiam summa simul omnium rerum inopia laborarent; nihilo tamen minus hi aegrotantes, quantos ipse saltem vidi, raro febrem habebant vere Atacticam, multoque minus Adynamicam; nisi haec nomina tribuere velimus viribus inedia aut morbo prostratis, quaeque jusculo carnis, deinde cibo solidiore, vino aliove medicamine cardiaco, paucis diebus mirum quantum restituebantur; qui vero

ex hisce ad incita jam redacti erant, mortem occubuere a consumtione.

Quum febrem jugulare, aut vires excitando sustentare communis erat indicatio vitalis, pauca etiam colligi potuerunt de vera morbi judicatione: in quantum e. g. criticis adnumerari debuerint Sudores, subinde valdequam profusi, nunc universales, modo solum caput idque nudum occupantes. Idem de Diarrhoea ac Vomitu, nec non de Urinis, sedimento nonnunquam mucoso vel lateritio notatis, nec raro nisi tenesmo difficili emittendis; ne de Aphthis dicam et Exanthemate, mox indicandis.

Dicta autem sufficiunt ad significandum morbum formae parum mutatae, simulque naturae perquam constantis, ab inflammatione alienum, ac toto fere decursu dolosae astheniae charactere notatum. Hanc indolem docuerunt morbi symptomata cum medendi ac moriendi ratione, hanc confirmabunt morbi Aetiologia, variique generis languores a sanatione residui.

## §. 7.

### *Morbi sequelae.*

1. Inter has notanda venit magna Debilitas, in hominibus quoque robustis et constitutionis athleticae; qui morbi principalis effectus considerandus erit tanquam variarum adfectionum chronicarum causa, sive prima aut primae accedens.

2. Maxima propensio ad pene inevitabilem saepiusque iteratum morbum recidivum. Duplex quoque hujus esse videtur ratio: prima quaerenda est in corpore debilitato, quatenus hoc minus dispositum sit ad ferenda frigoris, caloris et vicissitudinis atmosphaerae, cibi porro ac potus aliarumque potentiarum nocentium damna, quae hominum robustum ac sanum vix tangunt. Altera continuatio est generalis seu causae miasmatis qualiscunque morbifici, quod cur magis parceret morbum passis quam novis, nulla in epidemiae natura ratio manifesta est: pro tempestate igitur et epidemiae stadio alterutram causam principatum agere necesse est. Sin vero, ut non raro fieri debet, utraeque coeant; si tanquam occasionalem iis addamus vitam difficilem atque laboriosam, quam homines etiam delicatiores, et inter convalescentes vix dum numerandi, agere coacti sunt ut, famulatu deficiente, sibi suisque necessaria curent, facillime explicari poterunt relapsus frequentissimi, nemini certo evitabiles, ac plus semel iterandi.

3. Hydrops, Oedema plerumque, nec raro vehementissimus et celerrime ingrediens, quandoque abeuns in Anasarcam generalem ac nonnullis, epidemia praesertim cum calore et siccitate declinante, in Ascitem. Causa prima iterum videtur esse in debilitate; accedunt

vero in quibusdam sanguinis rubri et coagulabilis inopia: cum vitio Lienis, Necrologia praeprimis docente.

4. Ad causam hanc organicam referendus quoque esse videtur sensus plenitudinis in epigastrio; qui quamquam minus generalis, in eo tamen cum hydrope ac debilitate convenire observatur, ut egregium habeant in prudenti usu Ferri, cum medicamine amaro ac volatili aethereo conjuncti, remedium. Infantibus frequentius remanet tumor abdominis universi; sitve hic oriatur ab adfecto liene, aut glandulis lymphaticis tumidis duriusculis.

5. Quibusdam, sed multo rarius, morbus terminari observatur singulari Aphtharum chronicarum specie, quae in lingua et fauce cognoscuntur adspectu, in oesophago ac ventriculo, dolore ardente, vel etiam insigniter aucta in hisce organis muci tenacissimi secretione, eaeque valde simili, quam, ut febris nervosae epidemicae, sibi observatae, symptoma descripsit Reilius (1). Utramque semel tantum vidi, cum bona sed lentissima morbi sanatione. Ast multo frequentior fuit faucium intumescentia et rigor cervicis; hic motum capitis rotatorium difficilem reddere, prior vero

---

(1) Memorabilia clinica Halae 1790, vol. 1. pag. 6.

tam levis esse solet, ut deglutitioni vix obstiterit.

6. Aliis circa articulum carpi vel in dorso manus, nec non in multis corporis locis, prodiit variae speciei efflorescentia, quae diu continuavit, ut plurimum sine pruritu, nec tamen semper sine quodam dolore.

7. Denique nonnullos, cum virium a morbo residua imbecillitate, per aliquod temporis spatium laborare vidimus memoriae lapsu et vaniloqua quadam amentia, nec non duos mania furibunda correptos, omnes tamen satis cito soliusque naturae auxilio, maniae puerperalis instar, in integram sanitatem restitutos. Hanc maniam a debilitate primus descripsisse videtur Sydenhamus (1)

Moveri posset ac mota est quaestio, an Sulphati chininae quaedam partes sint in excitandis aut protrahendis hisce languoribus, epigastrii praeprimis adfectione ac relapsu in morbum? Et sane si quis morbum tam gravem unius nychthemerae spatio in sanitatem restitutum viderit, inprimis si ratiocinationem, qualemcunque demum, in rebus etiam empiricis, praeponere amet experientiae; talis

(1) In Epidemia Londinensi anni 1661 seqq; operum medicorum, Genevae 1716, 4. pag. 60.

de sanitati infesta naturae violatione somniare posset, ubi expertorum consensu specifica habetur ac vere divina ejusdem remedii virtus, sine qua in summo rerum discrimine confugiendum fuisset ad corticem matricem, quem tamen tam brevi temporis spatio minus certo agere, notissimum est, quique, praeter febrifugam unice hîc necessariam, cum volumine etiam nimis magno, vires possidet, in nostro casu minus utiles quam noxios. Itaque in usu hujus remedii nihil dolendum superfuit, nisi quod manus deficerent, quibus singulo aegro praeparari posset et administrari. Ad quaestionem autem propositam, an prae reliquis convalescentibus morbo recidivo aliisve malis obnoxii fuerint, quorum febris hujus medicamenti viribus cesserit, minus facile, mea saltem sola experientia, responderi potest propter eamdem aegrorum copiam; qua factum est, ut rebus praegressis aut calamo excipiendis, aut memoria servandis et cum sequenti conditione conferendis locus vix fuerit. Talem vero tantum non semper vidi hujus pharmaci effectum ut, eodem a febre fracta momento et per plures dies, optime valerent, nec de ulla gravitatis aut plenitudinis sensatione conquesti sint convalescentes. Imo etiam mihi visum est, morbi has residuas potius secutas fuisse omnino neglectum, vel minori quam fas est dosi adhibitum,

aut non diu satis continuatum Sulphatis chininae usum.

## §. 8.

*De iis quae docuit cadaverum inspectio.*

Ut una fere facies morbi, sic necrologiae. De hac autem monendum est, numerum harum observationum non esse magnum, neque omne complecti epidemiae tempus: quantumvis enim faciles esse solent cives nostri in cadaverum sectionibus admittendis, Medico non tantum fuit otii, ut in praxi communi has susciperet. Ob eamdem causam, etiam in Nosocomio, hujus rei initium non factum est ante mensem Octobris. Quaecunque igitur de hac materie, quantum ad rem nostram faciunt, breviter hîc inveniuntur notata, omnia sunt ex observatione Clar. Hendriks, collegae aestumatissimi, cujus consilio ac diligentiae, in instruendo et conservando hoc hospitio, multos debemus servatos cives.

Ex funerum sectorum numero 107 historia, non pauca trahi possunt, quae, comparata cum observatione in aegrotantibus, faciunt ad naturam et causam morbi explicandam. Horum rationem, numeris expressam, sequens docebit tabula.

## CONSPECTUS NECROLOGIAE IN NOSOCOMIO PUBLICO.

| VITIA REPERTA. | MORBORUM SERIES AC NUMERUS. | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| | Febris nervea. 20 | Dysenteria. 23 | Diarrhoea. 14 | Febris putrida. 13 | Hydrops universalis. 16 |
| *Cystis fellea* bile valdequam turgens. | 3 | 11 | 2 | 3 | 0 |
| *Hepar* vario modo adfectum. | 11 | 9 | 6 | 2 | 4 |
| *Renis* color aut substantia mutata. | 3 | 9 | 1 | 4 | 1 |
| *Lien* fuscus, mollis, in pultem fere conversus, aut volumine auctus, vel indurata membrana ejus externa. | 17 | 18 | 11 | 10 | 10 |
| *Tubus intestinorum* interne vel externe phlogosi ejusve sequelis notatus. | 6 | 13 | 4 | 3 | 1 |
| *Sinus venosi* encephali aut membrana vasculosa, sanguine solito magis impleta. | 6 | 0 | 1 | 4 | 2 |
| *Ventriculi cerebri* aut membrana arachnoidea plus minusve continens humoris serosi. | 12 | 4 | 4 | 4 | 6 |

Sequentia de hac materie sunt notanda.

1. In multis cadaveribus harum adfectionum organicarum plures fuisse conjunctas, in quibusdam omnes.

2. Lienis vitiati loco tumentes venisse glandulas meseraicas, in infantibus annorum 4. ad 8; quorum unus Ictero, duo Diarrhoea ac duo Febre hectica perierunt.

3. Hujus visceris corruptionem in hac epidemia adeo fuisse vulgarem, ut, praeter morbos in Tabula notatos, in quinque Apoplexia peremtis quinquies adfuerit, neque etiam defecerit in frebre lenta, febre hectica, Ictero, Intestinorum susceptione quin et Asthmate.

4. Varii generis calculos felleos occurrisse in novem cadaveribus, tam febrem nervosam et hecticam, quam putridam ac dysenteriam passis.

5. Minus quam soleant rara quoque fuisse scirrhosa matricis vitia. Haec tamen et calculos (4) non reperta esse nisi in aetate provectioribus.

6. Inter 107 defunctos, quorum cadavera aperta sunt, viros fuisse numero 36, mulieres 63, infantes 8, ac 33 qui supra sexagesimum aetatis annum vixerant.

7. In plurimis denique corporibus, si cavum cranii excipias, memorabilem fuisse sanguinis boni inopiam.

Haec omnia confirmant cum deleteriam

hujus febris, soli naturae relictae, indolem, tum laudes pharmaco unice certo et specifico ante tributas; simulque abunde docent, quemnam finem huic morbo fecissent Venae Sectiones copiosae atque Hirudinum numerus abdomini adplicitus; tentatam vero Medicis nostris, vix crediderim, fuisse hanc medendi rationem; etiamsi sanguinis missio topica, ut in cephalalgia furibunda similibusque capitis adfectionibus, sua utilitate non caruerit.

Nec male haec in mortuis reperta quadrant cum ingenio morbi asthenici universo, cum valetudine residua (§ 7.), cumque eximia Ferri efficacia; quod metallum quam potens sit in exsangui viscerum abdominalium debilitate, nec non in splenis, febre intermittente tumidi aut relaxati, vitio nulli Medico non est notissimum.

Visceris denique hujus languens vel penitus conturbatum officium, una cum Hydrope, cum Sanguinis rubri coagulabilis paupertate, ac glandulis, liene sano, affectis in pueris (2), totidem argumenta sunt pro egregia Tiedemanni Heidelbergensis ac Gmelini de functione hujus organi theoria; juxta quam in liene princeps est systematis lymphatici officina, qua Chylus praecipuam accipit vim plasticam et coagulandi nisum, simulque aeri expositus colorem contrahit subrubellum, quibus dotibus ad sanguinis

ipsius naturam quam proxime accedit; qualiter contra hae chyli qualitates valdequam deminutae inveniuntur in animalibus, per aliquod temporis a liene sublato spatium: ita tamen ut glandulae meseraicae hujus organi vices gerere tandem adsuescant (1). Haec vero consuetudinis efficacia non temere ad corpus humanum est applicanda: cujus quippe systematis lymphatici conformatio non omni numero similis est animalium, hisce experimentis atque observationibus subjectorum.

## §. 9.

*Inquiritur in morbi indolem contagiosam.*

Non valde complicata mihi videtur esse haec quaestio, dummodo bene definita ante fuerit notio rei de qua quaeritur.

Morbum quemdam contagiosum declarare licet, si homo sanus, ab aegroti contactu vel vicinia, quovis tempore ac loco, quamquam non semper et ubique eadem cum facilitate, simili adfectione corripitur. Talis morbi vulgatissima exempla sunt Variolae, Morbilli, Scarlatina, Febres quaedam typhoideae, Pestis

(1) Versuche über die Wege, auf welchen Substanzen aus dem Magen und Darmkanal ins Blut gelangen, über die Verrichtung der Milz und die geheimen Harnwege. Heidelberg 1820.

orientalis, cum quibusdam morbis exanthematicis, etiam non febrilibus.

A contagio contra immunis habeatur omnis morbus, in quo sequentes observantur conditiones: primo morbi ingenium, communi experientia ad contagiosa minus referendum; deinde deficiens translatae, ab hominum commercio, adfectionis exemplum; tertio denique causae communes epidemiae, solae sufficientes ad morbi originem explicandam.

Neutiquam vero hisce significatum volo, quasi nullum sit in societate aegri, a morbo contagioso omnino etiam liberi, sanitatis periculum: namque a sola phantasia aut metu morbum alienum attrahi omnibus notum est, nec minus perspiratione, vel quidquid sit, quo corpus sanum ac vegetum adficiatur ab interiore commercio cum valetudinariis, senio confectis, aut quocumque demum morbo etiam chronico laborantibus.

Quod si hominum quoque sanissimorum copia, minori quam fas est spatio coacervata, aerem spirandum letali imbuerit miasmate, aerisque infecti, in iis qui mortem evaserunt, sequela fuerit febris summopere adynamica, qualiter testantur miserrimi casus, qui seculo praegresso Tribunali Oxoniensi, deinde Londinensi acciderunt, cum horrenda carceris Bengalensis et non una ex proximo nobis bello

historia; mirum sane non est, ab omni discrimine libera non esse corporum effluvia, si minori etiam quantitate eodem tempore materie morbosa fuerint impraegnata, absque tamen ut inde sequatur translatio morbi ejusdem plane naturae. Atque simili causae (nisi sit a tempestate mutata) quandoque tribuenda erit morbi alicujus epidemici benignioris in pejorem conversio. Certioris vero argumenti ipsa observatio est, quod in Nosocomiis, aliquamdiu jam plenis, ne excepto etiam nostro, major esse soleat febrium continuarum, typhoideae similisve naturae, numerus. Sin vero hae aedes infeliciorem situm habeant, aut aegris nimium impletae sint, aut ventilationis, munditiei, omnium rerum necessariarum copia, quaeque reliqua sunt Artis medicae adminicula defecerint, morbus generabitur eximie malignus, cui ab ipso Nosocomio nomen; atque hoc pacto commune miasma aereum in uno hoc loco valde augebitur, et facile accedet contagium ab ipsius morbi natura, in contagiosam nunc mutata; qua unione non potest quin morbus reddatur generalior magisque simul perniciosus.

Si cum hisce comparare velimus nostram epidemiam, primo loco ipse morbus erit considerandus. Hunc ab initio ad finem Intermittentis periodum servasse vidimus (§. 5.), raraque

fuisse continuae, praesertim typhi, exempla; qui vero si observati sunt, tantum non semper insolitum habuerunt lentorem, ita ut chronica fere consumtione, aut accedente diarrhoea, aut gangraena a decubitu similibusve perierint aegri; qualem unum alterumque in Nosocomio, primis ab ejus initio diebus, vigente tamen maxime epidemia vidi, atque unum solum in praxi privata, qui quinquagesimo demum morbi die occubuit. Febris autem intermittens communi experientia non refertur ad morbos contagiosos.

Deinde, Medicorum, numero circiter 36 ad 40, nullus mortuus est, ne ex junioribus quidem ac Medicinae faciendae plane insuetis; paucique aegrotaverunt, quorum vero morbi a summa fatigatione ac taediosissimae praxeos laboribus derivari debuerunt. Si tale quid fiat etiam in morbo contagioso, inter rariores certe pertineant necesse est hos casus. Praeterea quaedam exempla prostant hominum, qui tempore epidemiae a Groninga aut Frisia profecti, in varias urbes morbum adhuc dum silentem transtulerunt, qui itidem quando apparuerit nostro similis esse fuit observatus, absque tamen ut cuiquam e sanis, una etiam domo degentibus, impertitus fuerit; qui tamen verus atque solus contagii est character.

Denique nulla, mihi saltem, innotuit aegri observatio, ad cujus morbum explicandum causa communis non suffecerit.

Quem ad modum autem, ut vulgari exemplo utar, uno foco multi incalescunt, unoque naufragio plurimi pereunt, sic etiam pleraeque longe epidemiae, nostraque inprimis ab una causa communi pendent; quae vero eo infestior evadit, quo plures congeneres, ab ipsa licet contagio alienae, eidem accesserint.

## § 10.

### *Causarum morbi generalium consideratio.*

Etiamsi in epidemiae hujus Aetiologia, inprimis comparativa, quaedam desint, ex curatiori, quam mihi acquirendae occasio fuerit, variorum locorum cognitione petenda, omnibusque pene obscurum sit quidquid pertinet ad ipsas atmosphaerae qualitates, praeter nexum quemdam generaliorem inter ejus vicissitudines, parique fere passu ambulantes vitae organicae, morborum inprimis hominum, conditiones mutatas; eadem tamen experientia duce, e causis proximis primariam epidemiae nostrae ponere liceat in flagranti caeli ardore; hunc minus bene ferunt nostrarum terrarum

incolae insueti, praesertim in regionibus, declivioribus, ubi ab aquae copia frigere simulque humore perfusus esse solet aer, quem ad modum articulis praecedentibus invenitur notatum.

Terrae hae decliviores Provinciarum Frisiae, Hollandiae septentrionalis ac Transisalaniae anno praecedenti aquis marinis penitus fuerunt obrutae, eo cum eventu ut in hisce solis, proximisque intactis, Provinciarum regionibus epidemia saevierit. Viciniam Maris magnas habuisse in morbo excitando partes, reprobat experientia de Agro Groningano (§ 4.); ibique potius, salutari forsan refrigerio aut ventilatione, aer marinus ardoris ac stagnantis atmosphaerae damno obicem posuisse videtur: namque et insulae liberae manserunt, rariusque adfici solent.

Undenam vero in litore Cattovicensi originem habuit epidemia, quae, non magis quam nostros, infestasse videtur vicinos ei pagos maritimos a portu Tecelienst ad usque Mosam? An forte a novo fluminis Rheni ostio, vel ab artificiali quadam aeris impuritate in reliquis evitata, mihi non patuit. Sic etiam legimus de pago Broek, tam divitiis quam summa munditie ubivis celebri, quod, quamvis anno praecedenti totus quantus cum agris cingentibus submersus, epidemia tamen vix

tactus fuit (1); neque absimiles et a norma generali diversi in Frisia forsan notari possent eventus. Quantumvis autem propria horum causa lateat, observatione tamen satis certi sumus, morbos vehementes originem quandoque traxisse e causis, quae, parvae momento habitae vel penitus ignotae, omissae fuerant aut male curatae.

In nostra Provincia ex locis maritimis adfectam vidimus fuisse Delfsilam, locum aliis minus salubrem, ab effluviis, ut videtur, e fundo portus ac litoris saepius denudato calore elevatis, additis in plerisque epidemiis refrigerii vespertini noxis.

Ipsa haec Provincia, ab inundatione licet non multum vexata, insignem tamen habuit, et ab autumno ad tempus vernale fere semper habet aquarum copiam; eamque praeprimis in plaga septentrionali media, quam etiam prae aliis nostro morbo adflictam esse vidimus: namque e terris editioribus, praesertim arte

---

(1) G. I. Mulder et I. M. Roelants, Medici Rotterodamenses, qui a fine Octobris praxin susceperunt Hornae, Hollandiae septentrionalis Urbe. Vid. Eorum Bijdrage tot de Geschiedenis der thans in ons vaderland heerschende ziekte Rotterod. 1826. pag. 11.

elevatis, quales sunt agri Amaso ac Mari erepti eorumque aggeres tutelares, defluens aqua colligitur in fundis depressioribus (1).

Ex iis, quae de morbo in reliquis Provinciis mihi innotuerunt, elucere videtur, ejusdem hunc fuisse indolis simulque a solitis epidemiis alienae. In Frisia saltem, si comparantur symptomata cum feliciore medendi ratione, vix notabilem et a diverso fortasse epidemiae stadio derivandam, vidi differentiam (2).

In Hollandia septentrionali similia fere descripta legimus phaenomena, morbum vero ipsum multo citius finitum multoque minus letalem; quamquam numerus aegrotantium Hornae, ratione civium, computatus est = 1 : 4 (3).

---

(1) Hae cum pluribus aliis morborum in hac Provincia causis, iisque addita notatu dignissima praesidia et cautelae egregie expositae leguntur a viro Clar. Thomassen à Thuessink, Collegae in Medicina docenda aestumatissimo; vid. Rapport van de Commissie van Geneesk. Onderzoek. enz., aan den Minister van Binnenl. zaken, over de Najaarskoortsen in het Depart. Groningen; in Ejus Geneesk. warnemingen. Amst. 1810. tom. 1. pag. 161.

(2) L. Vitringa Coulon, Een woord aan de jongere Friesche Geneeskundigen, over de behandeling der thans in deze Provincie heerschende ziekte. Leeuw. 1826.

(3) Mulder et Roelants, l. c.

In eo conveniunt Frisia, Hollandia septentrionalis ac Transisalania, ut loci submersi reliquis gravius fuerint adflicti; quo minus igitur in diluvie ponamus causam epidemiae praeparantem, non obstat Groningae, Hornae atque urbium Frisiacarum morbus vehementior: quippe qui causis accedentibus, partim cognitis partim forsan obscuris, est tribuendus.

Valdequam vero a nostra discrepantem invenimus epidemiam anni 1779. Hujus enim initium fuit post ardentissimam quoque et siccissimam aestatem, sed ingrediebatur circa autumnum; haec litora Maris, praesertim interni, prius ac fortius infestabat, et locos elevatiores prae paludosis; febris erat generis continui, indole e origine Catarrhalis, ita vero ut Hepar et canalis intestinorum facile in consensum raperentur, et morbus valde pronus esset in Dysenteriam, Gangraenam ac febrem putridam; naturae quidem fuit valde asthenicae, at simul malignior et in quibusdam locis a contagio sane non alienus; minus diu perstitit, sed pro varia constitutione locali, diversa cum vehementia saeviit, praesertim Harlingae, Harderovici, Enchusae similibusque locis maritimis, Amsteledami contra multo melius cessit quam in excelsa urbe Neomagensi; optima denique medendi ratio, circa stadium saltem

tam epidemiae quam morbi individui medium, in Opio erat ac roborantibus (1).

## §. 11.

### *Contractior causarum generalium expositio.*

Horum omnium summam faciunt sequentia.

1. Solito major effluviorum aquosorum copia produxit et auxit adfectiones vernales ordinarias.

2. Deinde ingressa est notissima temperatura aestiva, qua, vaporibus his admodum auctis, ac tempestate humida simulque frigida in calorem humidum mutata, corpora disposita sunt, ad languorem ac debilitatem.

3. Nec tamen a refrigerii periculo omnino libera fuit haec tempestas, quo factum est, ut, in urbe saltem nostra, a medio Junio ad

(1) Hanc Epidemiam egregie descripsit M. van Geuns, Professor Medicinae Harderovicensis ac il Gelria Archiater. Vid. liber, de heerschende Persloop (Dysenteria epidemica), die in de laatste jaren, vooral in 1783, de Provincie Gelderland getroffen heeft enz. Harderov. et Amstel. 1784. De Frisiaca, praesertim qualis Harlingae fuit, legimus in libello, Kort verhaal, enz. Auctore I. de Reus; nec non Doct. Sminstra, in Verhandelingen der Natuur- en Geneesk. Correspondentie societeit, tom. 1, ubi etiam quaedam annotata inveniuntur de epidemia in Urbe Groningae, observante Doct. Loofs.

medium mensis sequentis, funera infantum, quorum quippe vita ac sanitas a perspiratione magis pendeat, fuerint triplicata.

4. Post haec, aestate maturiore dissipatis jam vaporibus aqueis, tam agris exustis quam ingenti numero fossis atque alveis, aquam tenere solitis, sol ardens extorsit miasma venenatum, indolis obscurae quidem, sed nomine Paludosi atque effectu deleterio Medicis notissimum.

5. Hoc miasmate, simulque persistente ardore, febris biliosa, asthenicae jam naturae (§ 5.), circa dimidium Augusti sensim mutata est in purioris typi Intermittentem; cui addita ex ipsissimis his causis symptomata nervea, adfectiones viscerum abdominalium et cerebri, cum multo majore debilitate, eam reddiderunt periculosiorem. Specificum vero antifebrile, cui circa solstitium morbus jam cesserat, nunc etiam sufficere minime desiit, quin immo Antidoti praestitit vires: ita ut longe plures homines servatos gauderemus, si pluribus ad hunc salutis fontem fuisset aditus.

6. Sin vero quaeratur cur hoc miasma, pro more suo, non potius morbum typhoidem produxerit quam intermittentem? ratio rei forsitan petenda erit in praegressa ipsius aquae copia; quae, etsi generalem morbi causam auxerit, ab altera parte efficere potuit, ut

miasma tardius evolutum fuerit, quam fieri debuisset e terra maturius et circa solstitium jam exsiccata.

## § 12.

### *De causis cur majori cum vehementia in* Urbe *saevierit morbus, ac diutius ibidem protractus fuerit.*

#### *a) Causae accedentes.*

Operae pretium est inquirere in fontem tantorum malorum; quo factum est ut, in urbe tam saluberrimae famae, sub minori etiam, quam in aliis urbibus ipsoque agro Groningano, causarum praedisponentium concursu, morbus excitatus fuerit, cum aegrotantium tum mortuorum numero dirissimus.

Mortalitatis rationem generalem, eamque comparatam cum anno praecedenti, brevi compendio contractam continet Tabula proxima; sequenti notata est aetatum defunctorum series.

## TABULA GENERALIS MORTUORUM.

a primo Maji ad ultimum Novembris.

| 1825. | Maji. | Junii. | Julii. | August. | Septembr. | Octobr. | Novembr. | Summa. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| VIRI.<br>FEMINAE. | 35<br>30 | 25<br>40 | 27<br>35 | 49<br>28 | 44<br>44 | 51<br>38 | 48<br>47 | 279<br>262 |
| SUMMA. | 65 | 65 | 62 | 77 | 88 | 89 | 95 | 541 |
| 1826. | | | | | | | | |
| VIRI.<br>FEMINAE. | 28<br>33 | 56<br>46 | 61<br>95 | 221<br>228 | 321<br>346 | 280<br>312 | 172<br>229 | 1139<br>1309 |
| SUMMA. | 61 | 102 | 156 | 449 | 667 | 592 | 421 | 2448 |

# SERIES AETATUM
defunctorum
a primo Maji ad ultimum Novembris.

| 1825. | JUNIORES. | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Infra annum. 1. | 1—5 | 5—10 | 10—20 | 20—30 | 30—40 | 40—50 |
| 89 | 90 | 21 | 17 | 35 | 55 | 32 |
| 1826. | | | | | | |
| 335 | 449 | 89 | 78 | 134 | 181 | 188 |

| 1825. | Annorum. SENIORES. | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| | 50—60 | 60—65 | 65—70 | 70—75 | 75—80 | 80 et ultra. |
| VIRI. | 30 | 11 | 16 | 20 | 16 | 8 |
| FEMINAE. | 22 | 12 | 16 | 18 | 7 | 26 |
| SUMMA. | 52 | 23 | 32 | 38 | 23 | 34 |
| 1826. | | | | | | |
| VIRI. | 114 | 69 | 65 | 56 | 50 | 57 |
| FEMINAE. | 125 | 81 | 85 | 107 | 85 | 100 |
| SUMMA. | 239 | 150 | 150 | 163 | 135 | 157 |

Horum pauci, ex media saltem aetate, prava morbi indole, plurimi periere quibusdam accidentiis, quarum princeps facile habeatur virium corporearum tanta depressio, ut morbo admodum debilitanti ferendo non sufficerent; cujus rei testimonium est insolita, maturiore aetate defunctorum hominum, nec non sexus muliebris abundantia, qualis e tabula patet, collata cum defunctis in Nosocomio (§ 8, 6). Sin enim febrem habuissemus typhoideam eamque contagiosam, multo major esse debuisset aegrotantium, ac duplicatus sane perditorum civium numerus.

Si aegros consideremus, qui uno eodemque tempore, per integros menses Augusti, Septembris atque Octobris, communi morbo oppressi jacebant, eorum numerum invenimus 8000 non minorem; qui igitur $\frac{1}{4}$ partem incolarum, quanti erant ante morbum ingressum (28,000), computatione superat. Ex hisce aegris, calculus singulo horum mensium defunctorum medius est 569, atque ita aequalis $\frac{1}{14}$ fere aegrotantium parti.

Propter hanc debilitatem proximasque ejusdem sequelas, ad malignos referri debuisset morbus noster; nisi vires apta Medicina excitari ac sustentari, ipsique motus febriles certo satis remedio compesci potuissent. Sed, per duos fere menses et supra, tanta aegrotorum

copia commissa fuit 10 ad 12 Medicorum curae. Huic artis medicae auxilio deficienti addatur omnium rerum, quae aegro debeantur, in tenuioris conditionis hominibus inopia. Quae utraque quid valeant, aliarum Provinciarum regiones nobiscum comparatae confirmare poterunt, sed prae omnibus docuit Nosocomium nostrum. Hoc scilicet, 8° Septembris primo apertum, recepit omnis generis, paupertate sola sibi similes aegros; quorum magna pars, corporis et aeris munditie, pharmaco excitante, praesertim vero alimenti desiderio prudenter expleto, postridie jam multo melius se habebat, eo cum effectu, ut duodecimo die ex 275 aegrotis 11 mortui numerarentur, quos inter 4 annos 70 circiter nati. Sic etiam in corporis constitutione sana, juvenili vitaeque genere moderatiore causa quaerenda est, cur Militum, magno satis numero aegrotantium, minor etiam quam in Nosocomio publico fuerit mortalitas.

## § 13.

### *Continuatio.*

*b) De causa locali, peculiari, endemica.*

Si quis conspexerit urbis nostrae faciem cum foris spatiosis, plateis amplis, ad lineam rectam fere compositis, cum aqua fluvia nec

tamen nimia; pulcram vocat hanc urbem et jure, salubritatem ejus auguratur, neque etiam injuria (§ 3.); vix autem suspicari poterit insidiosum intra ipsius muros morbi fomitem, qui latuit etiam Groningae cives, nec tamen omnes.

Est nimirum locus satis amplus et incolis frequens, in tractu urbis septentrionali, quatenus, a plaga occidentali seu a portu ad orientem usque, comprehenditur inter antiqua, quaeque hodie urbem cingunt, moenia. Notissima fama Medicis jam dudum fuerat hic locus, quia epidemiae vernae atque autumnales ibidem numerosiores producere observabantur aegros, morbumque simul pertinaciorem aut minus boni moris. Neque minus hoc anno, a primis ejus mensibus, in hac regione reliquis major fuit aegrorum, praesertim etiam febre quartana laborantium copia; atque hunc locum semper tenuit morbus, ita ut vix cuiquam parceret, multisque jam letalis fuisset, integris adhucdum ceteris urbis partibus.

Quamvis in extremo praeprimis urbium circulo egestas habitare soleat, in nostra tamen haec longe major ac frequentior est in opposita seu meridionali regione: non igitur culpanda est propria civium immunditiés, nisi in quantum causam primam, ipsi loco adscriptam, auxerit.

Hunc locum quaesiverunt in portu vel canali, qui abhinc ad Mare ducit; cui autem sententiae opponere liceat quod, etiamsi hujus canalis cumque eo communicantis fossae, quatenus haec, inter duas cataractas reclusa, $\frac{1}{8}$ fere et quod excurrit urbis antiquae partem cingat, fundus argillaceus non semper quidem tectus est utriusque Fluvii ipsiusque Maris aquis; rarissime tamen, si unquam, tam diu nudus jaceat, ut solis ardore exsiccari quin immo calefieri possit. Unde sequitur quod, si miasmatis cujusdam sedes sit in portus vicinia, hoc tamen non emanare ex ipso portu; sin etiam vapori aquoso ex argilla denudata, quam ex ipsa aquae superficie surgenti, paulo major in atmosphaera mutanda tribuatur efficacia (§ 2.). Praeterea non solo hoc puncto commune esse morborum domicilium, sed ad regionem usque urbis orientalem propagari vidimus; ubi, uno alterove canali excepto, aquae semper fluunt, earumque recessus cataractis prohibetur.

Neque hoc miasma ad urbis partem septentrionalem translatum esse e vicino rure, ex eo patet, quod pars Provinciae suburbana multo minus quam media fuerit adflicta (§ 4.); cui adde quod ipso hoc loco morbi epidemici quotannis fere recurrere soleant, libera eodem tempore vicina Provincia.

Quam ob rem nulla causa superest praeter halitum longe perniciosiorem, vere paludosum, ejectum e cloacis, hanc praesertim urbis regionem occupantibus, numero aut capacitate magnis, varia tam vegetabili quam animali materie excrementitia, eaque pro maxima parte evacuari nescia, semper plenis, tempestate solita motu intestino parum agitata, haec materies partes volatiles inclusas quiete auget, fovet et ad majorem acrimoniam disponit, usque dum insolito ardore, aliaque forte causa obscuriore accedente, ad fermentationem putridam incitata, vapores expellit experientia nimis notos (1).

Forsitan haec causa non omnibus satis aperta esse videbitur, et alia desiderari posset aut aliunde petita; quae dubia si duxerint ad repetitas et curatiores inquisitiones, nil nisi boni ex iis fluere poterit; dummodo ob oculos habeatur semper, rem esse admodum seriam non errasse in conclusione, de qua pendent millenorum hominum vita ac sanitas. Si quis igitur propositam causam effectui minus parem esse censuerit, prius, precor, quam eam omittat vel penitus rejiciat, morbosam

(1) Non soli Groningae topicum esse morborum fontem, docent Epidemiae Neomagenses, tam anni 1736 Degnero, quam 1782 Loticbio descripta: utramque nimirum legimus l. l. Platea sancti Pauli fuisse exortam. Van Geuns, l. c. pag. 68.

inspiciat urbis topographiam, quam a se collectam in mappis exposuit Doct. noster Tellegen, per aliquot annos in hac urbis constitutione, eaque cum constanti morborum sede comparanda, occupatus. Namque non mea haec experientia est, sed tota quanta ex assidua meritissimi viri observatione petita.

## §. 14.

### *De epidemiae recurrentis periculo.*

Tempore, quo huic descriptioni finem imposui, medio mense Decembris, morbum valde declinasse laetamur; eo nimirum usque, ut civium, qui hoc mense Novembris succubuere, cum eodem mense anni praegressi comparatorum, ratio sit numeri 421 ad 95. Aegrorum simul magnam adhucdum superstitem dolemus copiam; quorum vires, a repetito morbo recidivo fractae, restaurari negant, vel qui hydrope aut febre intermittente, aut vix manifesta aut larvata, laborare pergunt, nisi Sulphate chininae aliove remedio iis mederi successerit. Horum omnium major minorve pars ad sanitatem reditura est pro feliciore vel minus favente tempestatis hyemalis conditione.

Hisce igitur passis, brevi omnino finitam fore epidemiam, quis est quin speraverit! Ne autem placido somno sopiti tristes aliquando

expergiscamur, juvabit generalem consuluisse morborum popularium historiam; quae nempe docet, graves ejusmodi atque mali moris morbos non raro, quin etiam frequenter, per unum aut plures annos subsequentes recurrere; cujus rei multa exempla in libris Medicorum invenire facile est. Sic solus SYDENHAMUS notavit epidemiam Londinensem anni 1661, quae tertio rediit anno, aliamque ibidem ab anno 1669 ad 1672 repetitam.

In nostra patria permultos legimus morbos, etiam contagiosos, cum tempestate calida iteratos, quamvis causa praedisponens agri submersi, vel arte exsiccati, repetita non fuisset; plurimos vero ex hisce morbos, quatenus a saeculo 14° ad 17$^{um}$ maxime nutriebantur rerum physicarum ac medicarum ignorantia et superstitione, tangere non oportet; sufficiet igitur revocare epidemiam, quae anno 1763 et 1764, deinde ab initio anni 1773 ad 1775 urbem Gaudanam regionesque vicinas devastavit. Trajecti ad Rhenum Angina gangraenosa anni 1769 non uno anno cessavit; similis morbus anno 1778 cum sequente Roterodamenses adflixit (1). Quae vero generalior fuit, Epidemia

(1) Conf. F. W. BUCHNER, Verhand. over den invloed der Noord-Holl. droogmakingen na 1608 op de gezondheid der Ingezetenen, uitgegeven door het Provinc. Utrechtsch Genootschap. Utr. 1826.

anni 1779 non minori cum vehementia proxima aestate rediit, quid, per quinque annos Gelriam pervagata est; ac tam parum lenita atrocitate, ut ingressu anni postremi, quatuor mensium spatio, in una hac Provincia 4000 cives leto tradiderit (1).

Neque hoc mirum videbitur consideranti, causam quamcunque Epidemiarum proximam, in nostro casu immodicum aestum, haud raro effectum esse alius causae, indolis omnino latentis et solo coeundi tempore ac ratione quandoque conspicuae; qualis fuisse videtur nexus epidemiae 1779 et anni sequentis cum terrae motu, qui circa hoc tempus Calabriam devastavit; cujus quoque generis concussiones vehementes annis proximis non defuerunt, praesertim in regionibus orientalibus, et saepius invenientur in morborum historiis. De adfinitate saltem, qua conturbationes in terrae visceribus devinctae sunt cum mutatae atmosphaerae phaenomenis, omnino exploratum est. Turbulentam ejusmodi atmosphaerae inconstantiam haud raro transire vidimus in constitutionem stationariam, ita ut per aliquot annos perstiterit tempestatum simulque morborum conditio.

(1) Van Geuns, l. c. Praef. pag. 5.

Contra difficillimum est, ne dicam impossibile, semper dijudicare, quid et quantum generalis ac necessarius atmosphaerae status ad morbos faciat, quid causae variae, arte humana evitandae atque tollendae. Felices igitur si, hisce solis sublatis, salutem recuperare possimus et conservare, quin etiam morborum atrocitatem lenire. Qualiter enim, post singulam submersionem novis munimentis aggeres roborari, et e pulveris sclopetarii semel incensi damnis cautelae oriri solent antea minus adhibitae aut neglectae; ut prudens paterfamilias domum fulmine tactam conductore electrico tegit, ne, penitus deinceps combusta, temeritatis suae poenas luat; sic etiam in urbe nostra certissime nihil remansurum est, quod aliquo modo facere posset ad hanc tragoediam renovandam, nec quidquam neglecturum singuli, etiam proximi, morbi principiis obstandis ejusque periculo diminuendo idoneum. Quid enim est urbs pro parte eversa, quid incendium, quid regionis cujusdam inundatio, si comparata fuerint cum tot hominum perditorum numero, tantoque labore atque aerumnis, per longum annorum spatium vix exsolvendis!

## § 15.

### *De Epidemiae prophylaxi et cura.*

Malo cognito praesto sunt auxilia. Quaecunque enim, de miasmatis endemici sede et origine (§ 13), eruditorum fuerit sententia, vix tamen crediderim, quempiam horum tantam sordium congeriem civium sanitati non inimicam esse habiturum.

Iam ante hos 50 annos, qui, procul dubio, plus quam integrum seculum praecedens, fecerunt ad generis humani maturitatem, Clar. noster *van* DOEVEREN « hac in urbe minus recte curatas cloacas et projectas in vias publicas sordes adduxit tanquam morborum malignorum causam, hisque addidit vitam plebis otiosam ac morbos quos ex desidia et sorditie contrahit » (1); cui vero postremae sentinae exhauriendae, oratoris tempora multo minus quam nostra favebant.

De honesto tamen ac bonorum aestimatione dignissimo paupere hîc neutiquam sermo est; hunc sustentare ac relevare et, si morbo laboraverit, sumtu publico bonum atque humanum Medicum ei constituere, non magis charitate

---

(1) Sermo Academ. de sanitatis Groninganorum praesidiis ex urbis naturali historia derivandis. Groningae 1770, 4°. pag. 52.

jubetur et pietatis officio, quam communi rei publicae salute: ne scilicet uno morbo, languescente simul quaestu, perdatur multorum annorum fructus, aut aeger, dira fortunae suae qualiscunque tuendae necessitate, vitam ac sanitatem omnino negligat.

Simili humanitate nec minoris publicae securitatis causa, sed longe alio modo tractari necesse est, qui de industria aliena vitam vivunt nunc miseram, modo opulentam, at semper inconsideratam; quorum habitacula totidem sunt cloacae pestilentes, privata nec publica auctoritate eluendae. Ex talibus hominibus multos ad bonam frugem se recipere experientia docere non desinit, dummodo manibus suis utantur consilio alieno administratis; usque dum vita laboriosa ac religiosa, corpore et mente sana, atque bona infantum suorum cura, felices esse adsueverint.

Quaenam ergo difficultas remaneat in amplectendo auxilio, quo uno medeatur rebus publicis atque privatis, vel quidnam boni sit in conservanda medii aevi, mire sibi in egestate et otio favendo placentis, residua barbarie, ego sane non video.

De alio ejusdem temporis falsae atque obscurae Religionis munere, de coemeteriis intra urbis moenia collocandis, repetere quae a Mosaico usque tempore in hunc diem dicta

sunt, idem foret ac tempus terere; atque hoc eo magis, quo confidentius speramus, urbis Groninganae Magistratum, ut in aliis quondam institutionibus salutaribus (1), sic etiam in abrogando isto more, cujus nulla sana ratio dari possit, multis patriae urbibus fore antecessurum.

« Varia remedia, sunt iterum verba Dorvereni, ingenti malo (morborum scilicet miseriis cum egestate conjunctis) adhiberi possunt; nullum vero magis efficax, nullum ad salutem pauperum praestantius, nullum civitati honorificentius, nullum sumtuum parsimoniae aptius, quam extructio Nosocomii publici, quale fere omnes Europae urbes possident ». Verissimum enim est, ut legimus pagina ejus praecedenti, in pauperum habitaculis « tam incertam esse et intempestivam medicamentorum assumtionem; tantum in rebus ad sanationem necessariis, bonis alimentis et potulentis, stragulis, foco, aere puro et renovato, munditia similibusque defectum; tantam pleromque

(1) Quales sunt artis obstetriciae schola; lex Romana (Regia) de gravidis mortuis cum fetu non inferendis renovata; praemia statuta de salvandis submersis; et nostro demum tempore prae reliquis forsan utilissimum, de syphilidis contagio arcendo consilium; quod autem, postquam per aliquot annos exspectationi ac votis egregie responderat, nihil nobis reliquit praeter solam memoriam.

animi curam et sollicitudinem, ut mirandum sit, ullum in tabernis et cavernis suis decumbentium egenorum cum sanitate in gratiam redire » (1).

Itaque si ullum homini officium praestandum sit erga pauperem sanum, quanto majora debentur valetudine conquassato!

Si quis autem dubitaverit de salutis in Nosocomio praerogativa, rationem conferat, ad finem § 12 notatam; quibus addatur quod ex iis, qui in hospitio mortem occubuere, nullus equidem inopia periit, nec desolatus, nec taedio vitae miseriarum plenae.

Itaque praeceptum est humanitatis, ut in omni urbe Nosocomium sit satis magnum, civibus ac peregrinis semper apertum, atque tali modo instructum ut, primo epidemiae ingressu, spatio et apparatu amplificatis atque paratis, aliquot centenos aegros capere possit, paucis Medicis curandos. Hoc pacto prospicitur singulis aegris, et contagii, si quidquam habeat morbus, propagatio eorum sejunctione a sanis optime coercetur.

Cavendum autem, ne, salutaris institutionis loco, hospitium veniat, huic fini multo minus accomodatum; namque hic praesertim extrema

(1) L. c. pag. 58.

se tangunt, ita ut Nosocomium cum omni ejus apparatu, sine Medicorum consilio aut avara manu extructum, in morbo praesertim epidemico mortis potius quam salutis domicilium appellari mereatur (§. 9).

In patriae nostrae, Hollandiae praesertim, urbibus non pauca sunt Nosocomia bona, veram parentum pietatem eximie indicantia; sed recentiore aetate omnes fere Europae gentes nobis palmam praeripuerunt. Harum institutionum aedificia quibusdam auro ac marmore magnifice splendent; aliis, ad nostratium exemplum, summa munditie, bona habitatione, victu, medicina, soli aegrorum emolumento prospicere curatur. Ex iis autem, quae ipse vidi, facile princeps est Nosocomium Hamburgense novum, ad omnem tam commoditatis quam salubritatis artem revocatum, nihiloque carens, quod aliquo modo aegrotantium utilitati possit servire. Talem amplitudinem hoc hospitium habet, ut aegros capiat numero 1100; quorum igitur singulus, collatus cum civium numero, 110,000 aequante, 00,1 faciat civitatis universae partem. Si nunc in urbe Groninga ab epidemia finita ponamus residuos cives numero 25,000, Nosocomium nostrum, si Hamburgensi similis ei foret ratio, tempore ordinario spatio et apparatu instructum esse deberet pro 250 aegrotantibus.

Ut autem hac in urbe non tantam habemus peregrinorum confluentium frequentiam, nec tantam fortasse, quamvis magnam, pauperum atque inopum copiam, quaeque simul speramus fore ut sapienti atque humanissima Magistratus nostri cura identidem diminuatur, necessitatibus hujus urbis sufficiens forsan erit aedificium ad 100 aegros curandos aptum: ita nimirum ut, cujuscunque epidemiae initio, mox totum quantum impleri possit, simulque brevissimo tempore majori numero recipiendo sit paratum.

Nihil facilius, forsitan quis dixerit, quam tales proponere ideas, quae vero mole sua ruant necesse est, nisi aerario pleno sustineantur; et revera nullus hominum de tam immensae restaurationis difficultate non erit persuasissimus, praesertim post epidemiam adeo diram ac valde sumtuosam. Quoniam vero penes alios est de hac re dijudicare, ipsam operam ejusque instituendi et ad finem perducendi rationem consilio sagaciori relinquere debeo. Haec vero sola adjungere liceat. Primo, utilitatem rerum propositarum, Medicis jam dudum exploratam, post recens exantlatas aerumnas, communis experientiae esse factam atque omnibus confirmatam.

Deinde sermonem non esse de operibus, splendore aut magnificentia sumtuosis, sed

hic agi de nostra securitate, de vita humana summoque civium omnium bono, de rebus ergo, quae in pretii aestimationem venire nequeunt.

Denique Groningam habere exemplum in mox nominata, foedere olim Anseatico secum conjuncta, urbe; ubi tantum aedificium surrexit, non ut fructus temporis quieti atque tranquilli, sed post exacta proximo bello tributa acerbissima, raptusque et vexationes non paucas; quo tamen non contentus Senatus, urbem praeterea splendide exornavit et magnis operibus civium utilitati prospexit ac delectamento.

# HISTORIA
# EPIDEMIAE MALIGNAE
## ANNO MDCCCXXVI
## JEVERAE OBSERVATAE

CONSCRIPTA

A

F. A. L. POPKEN

MED. DOCT.

# PRAEFATIO.

Tantum cum sit constitutionis epidemicae stationariae in morbos omnes sub ea regnantes imperium, ut vel nihil in Arte nostra stabile omnino ac certum pronunciari possit, nisi habita ad Epidemiam ratione: sponte liquet, universalis hujusce normae, ad quam durante ejusdem regno vel cujusvis morbi — saltem acuti — tractatio inflecti quodammodo debet, cognitionem medentium attentionem quammaxime mereri. In conscribenda igitur memorabilis aeque ac dirissimi morbi, qui regionem nostram *Jeverensem vicinamque Groningam* vix ac ne vix quidem dereliquit, historia laborem non prorsus inutilem suscepisse sperare eo

magis potero, cum in eodem illo morbo constitutionis illius stationariae (sub qua nos vivimus et vivemus forte per decennium et ultra) natura, ut in exemplo solenni, egregie conspiciatur, cumque nemo medicorum hucusque — quod sciam — Epidemiam hancce descripserit.

Etsi enim me non lateat, — ut alia innumera taceam — illam quam cl. PRINGLE (1) descripsit, febrim copiis Britannicis anno 1742 in Flandria infestam, cum nostro hoc morbo haud uno titulo convenire, diversa tamen constitutionis epidemicae indoles utrumque satis distinguit, dum ab altera parte nostrae hujus Epidemiae gravitas et extensio, mirandaque plane symptomatum diversitas nulli hujus generis morbo hucusque descripto tribuenda videatur.

Praemissis itaque nonnullis de regionis nostrae, Groninganae perquam similis, topographicis adnotationibus, generalem primo morbi

(1) Diseases of an army. Cap. I. seqq.

atrocissimi historiam ab origine repetitam exhibere, dein vero universalem Epidemiae descriptionem quantumpote accuratissimam, tandem vero ejusdem, ut et specierum omnium adumbrationem et therapiam sigillatim tradere constitui.

Quaecunque ceterum sequentibus pagellis continentur, ex propria aegrotantium centenorum observatione non sine labore conflata, nulla vero, quod sciam, aliorsum transscripta invenientur.

Quibus quidem ausis, — quorum difficultatem vel ipse persensit summus in condendis Epidemiarum descriptionibus Sydenhamus, — nisi penitus exciderim, satis mihi erit, et veniam ceterum pro laude peto.

*Scripsi Jeverae mense Februario 1827.*

# CAPUT I.

## *Topographia.*

Regionem nostram Jeverensem, a duobus lateribus mari circumdatam, solum arenosum, siccum, altius positum, et solum pingue, humidum, profundius positum, argillaceum ita dividunt, ut prior, (cujus vero extensio, teste Fr. Arends (1), si accuratissime computetur, ad partem terrae nostrae sextam reducitur,) antiquos terrae fines priscaque maris litora retulisse videatur, antequam tractu temporis et longaevo satis labore posterior terrae nostrae pars, quae fundum maris antea constituerat, alluvione sensim nata, et aggeribus circumdata fuerit.

---

(1) *Ostfriesland und Jever. Vol. II. pag.* 139.

Qua quidem de re quicquid sit, diversae saltem, quae regioni nostrae ab omni tempore haud leviter incubuerunt, aegritudines (1) frequentiâ aeque ac indole differre observantur, utrisque divisioni memoratae omnino naturali respondentibus. Dum enim in parte terrae nostrae elevatiori, aëre salubriore perflatâ aquisque purioribus fruente minor in genere observetur morborum numerus, paludosa e contra et profundius posita regionis nostrae plaga fertilissimum omni tempore exhibuit aegritudinum fomitem, inter quas febrium intermittentium agmen ita prae ceteris emicare observatur, ut vel nullo totius anni tempore ibidem non occurrat. Dein vero, quod et cl. PRINGLIUS de Flandria monet, principalem et quovis autumno revertentem morbum febris constituit cum symptomatibus biliosis incedens, cholerae similis, neque tamen vera cholera, quae effluviis paludosis originem sine dubio debens, magis minusve epidemice quotannis regnat, et in intermittentem graviorem et longaevam transire consuevit, imo vel ipsa ex intermittentium tribu quasi transfugisse merito censetur. Aëri vero palustri tantam haud temere a nobis tribui potentiam, ex sequentibus, ubi de caussa

(1) *Vid.* ARENDS *l. c.*

hujus Epidemiae agetur, patebit, neque mirandum sane erit, si consideretur, regionem nostram profundius sitam tanta canalium copia esse intersectam, ut harum superficies, teste judice admodum idoneo; *decimam terrae nostrae partem* constituat. Accedit, quod febris haecce, *autumnalis* nostratibus dicta, eo magis grassari observetur, quo propinquius et rapidius diurni calores frigoribus vespertinis excipiantur et sic cutanea perspiratio quo promtius supprimatur: indicio, febrem illam iisdem sub conditionibus potissimum florere, quae evolvendo miasmati paludoso quammaxime favent. Ex sequentibus vero elucescet, febrim hancce memoratam, Pringlianae similem, *partem tantummodo* vastae ejus, quam describere conabimur, *Epidemiae* constituisse, et longe latius infelicem hujus fere pestis provinciam sese extendisse, etsi comunia quaedam et priori similia in omnibus morbi nostri speciebus, praesertim illa quam cholericam appellavimus, adfuisse minime negandum sit.

Oppidulum vero nostrum *Jeverum* quod attinet, in quo prae ceteris furores suos morbus edidit, monendum, illud in ipsis soli arenosi et paludosi finibus positum, fossisque ceterum vetustis, calore solis exustis instructum, evolvendo miasmati paludoso expositum quam maxime fuisse.

## CAPUT II.

### *Historia morbi.*

Fertilissimam omni tempore intermittentium regionem nostram vernales solito frequentiores anno 1826 visitare coeperunt. Constitutio vero morborum stationaria cum per decennium fere proxime elapsum inflammatoria fuerit, mirandum sane non erat, easdem quoque febres leniori illi et antiphlogisticae methodo, quam cl. SWIETENIUS et cl. J. P. FRANK in omnibus vernalibus praedicant, feliciter cessisse. Ea interim cum sit characteris epidemici potestas, ut quibuscunque morbis sub ejusdem dominio occurentibus, indolem suam imprimat, fieri non potuit, quin magna et universalis hujus characteris epidemici mutatio cum morbo novo et gravissimo conspirans — quod utrumque simul accidit — medentium methodo suae antiphlogisticae inhaerentium animos mirifice percelleret.

Auctis nunc indies caloribus, eaedem hae febres, quod ceterum fieri consueverat, mitescere non coeperunt, sed pertinaciores redditae, solitae hucusque et feliciori tractationi non amplius auscultare observabantur. Initio tandem mensis Julii, cum exusta fere ubique a solis radiis regio nostra canalibus referta

vastam praeberet superficiem paludum plenam, *prima* apparuere morbi dirissimi, praetervisa plerisque, *vestigia*. Continuatae nimirum et seram in aestatem porrectae quasi intermittentium vernalium cohorti gravia hinc illinc accedebant symptomata, sub aliorum morborum specie medentium attentionem eludentia, inter quae primum fuit phrenitis, veram jam tunc temporis *tertianam phreniticam* referens, tam malignam interdum, ut nonnullos vel primo insultu obrueret, neglectis plerumque, quae praecedere ut plurimum solebant, duabus tertianae legitimae accessionibus. Ortâ nunc mense Augusto, uti quotannis fieri solet, consueta apud nos febre *autumnali* dicta, quae cum cholericis plerumque symptomatibus incedere solet, Epidemia et hoc symptoma sibi adsciscere, et sic in *cholericis perniciosis* maligna morbi natura palam fieri medicis primum coepit. Neque tamen, uti nonnulli voluerunt, pessimo sane errori inhaerentes, tota haec nostra Epidemia cholerâ veri nominis absolvebatur, etsi frequenter satis febribus sese adsociaverit illud symptoma, de quo jam cl. Pringle l. c. diserte monet, bilem hujus morbi caussam plerumque *non* esse, etsi eidem fere semper jungantur symptomata biliosa.

Deposita nunc penitus medio Augusto larva, dirissima tandem patuit et pestifera fere

morbi per universam jamjam viciniam furentis, natura; Vera nunc spectabatur et miranda *perniciosarum intermittentium familia*, quae, nisi statim symptomate aliquo lethifero necem inferrent, in typhum singularem abire, et malignissimorum more morborum virium collapsum omni fide majorem reconvalescentibus parare consuevit (1).

Antequam vero ad specialem nunc memorabilis hujus Epidemiae descriptionem me accingam, generalia quaedam omnibusque morbi speciebus communia, praemittere liceat, unde simul apparebit, morbum nostrum ab illo, quem cl. PRINGLE graphice descripsit, vix nisi varietate symptomatum majore, et diverso in utrisque constitutionis epidemicae genio differre (2). Ex eadem quoque ratione febris paludosae nomen morbo nostro non immerito imponendum duxi.

---

(1) Febres tales plerumque Epidemiarum more grassari, notat cl. SPRENGEL Pathol. *Vol. II.* §. 147.

(2) *Cf.* BURSERII *Institt. Med. Pract. Vol. I.* §. 160. *sqq., Edit. Heckeri. Franc.* TORTI *Therap. spec. ad febres quasdam perniciosas etc.*

# CAPUT III.

## *Descriptio Epidemiae generalis.*

In nonnullis a tertiana legitima ortum ducens morbus, primisque diebus innocuus plane visus, clam insidias struit, et nostratium multos inopinato sustulit, morbum tam consuetum adeo negligentium, ut vel salutarem habeant; juncto nimirum tertiae, quartae vel et quintae febris accessioni symptomate aliquo vel statim vel sequente saltem paroxysmo certo certius lethifero. In aliis summa jam ab initio apparuit prostratio virium, verum malignitatis signum, quae — ut illud in transitu moneam — in eo potissimum constare videtur, ut statim ab initio et sine caussa evidenti adsit prostratio virium summa, neque symptomatibus neque morbi periodo respondens. Facies simul collapsa, cadaverosa fere, oculorum splendor imminutus, lassitudo membrorum fere plumbea, capitis obnubilatio et stupor simul cum singulari animi dejectione, principium quasi *daemoniacum* (τὸ θεῖον) characteremque morbi miasmaticum indicare cernebantur. Accedebant nunc oscitationes frequentes, anorexia, horrores et calores sicci alternis diebus majores, cum pulsu frequenti et celeri, sed sine sudore, qui vero in casibus

rarioribus jam ab initio adesse et praestantissimum symptomatum levamen, lenioremque morbi decursum efficere observabatur. In utroque vero casu, aucta indies virium prostratione, lenes quae ab initio adfuerant febrium intermissiones, obscuriores sensim redditae, evanescere tandem consueverunt, servato interea, paucis casibus exceptis, tertianae duplicis typo, qui proprius perniciosarum decursus esse videtur. Accedentibus nunc, quae unicuique morbi speciei, in sequentibus sigillatim pertractandae, propria sunt, symptomatibus, — quae in aliis vel statim ab initio morbum comitabantur, — varius admodum fuit morbi decursus pro varia symptomatis concomitantis indole et gravitate. Permultis vero vel statim ab initio vel versus diem morbi quintum accessit stranguria.

Erat interim, ubi morbus, tertianam primo referens, in typhum dein abiens — nisi statim ab initio aegrotum perniciosarum more jugularet, — in tertianam rursus mutaretur; in aliis vero casibus, rarioribus interim, malum in viam tertianariam non amplius redire observabatur. Typus vero, uti dictum, tertianus, vel simplex, vel frequentius duplex, ab initio nunquam desiderabatur. Interdum morbus symptomatis alicujus terrentis sub forma, larvatarum exemplo, statim apparet, cum

levissima vel nulla febris significatione, casu, ex Epidemia facile dijudicando.

Nonnulli post morbum superatum, praeter debilitatem omnibus communem incredibilem plane, ventrem exhibuerunt tumentem, durum, qui in plerisque casibus a tumentibus liene vel hepate, in aliis ab intestinorum *ipsiusque* in sexu sequiori *uteri vera pneumatosi* oriri visus est. In aliis summa mentis hebetudo cum oblivione rerum, in aliis hydrops anasarca morbum consecuti sunt. Oedema pedum, melioris plerumque ominis, fere semper, ascites vero genuinus rarissime morbum insequebatur. Summa et hîc rursus elucet morbi nostri cum intermittentibus cognatio, tanta quidem, ut, si priori demas prostrationem virium et symptoma concomitans, febrim habiturus sis tertianam legitimam simplicem vel duplicem. Notandum insuper, morbum nostrum, qui intermittentium more innumeris recidivis medentium aeque ac aegrotantium patientiam exhaurire et Danaïdum fere laborem exposcere consuevit, eo, quo grassatus est, tempore, omnes reliquos morbos ita in dominium trahere et quasi absorbere visum fuisse, ut nullus fere alius, excepto hoc uno, toto hoc tempore observaretur. Neque mirum: tanta enim fuit causae atmosphaericae, cuivis morbo quantumvis alieno colorem suum quasi

induentis, potentia, ut tribus vel quinque morbi diebus elapsis, nihil de priori superesset, superstite sola, quae tyrannidem sibi vindicaverat, morbi epidemici forma.

Ceterum de hac nostra Epidemia idem dicendum fuit, quod SYDENHAMUS de peste Londinensi notat, « *illum ipsum annum tot millium strage funestum, alioquin mitissimum et saluberrimum extitisse.* » Imo quod SWIETENIUS (1) de morbis epidemicis praedicat, « *quod nempe minus ab iis afficiantur languidi, debiles, cachectici, podagrici,* » — illud ipsum egregie quoque in nostram hancce Epidemiam quadravit, quae quidem simili modo iis prae ceteris pepercit, qui morbo aliquo chronico laborantes, debiliores erant; imo et immunes esse consueverunt illi, qui asthmate, clavo, aliisve affectibus chronicis laborabant, a malo consueto, et sanitate fruebantur optima (2). In reconvalescentibus nonnullis, extra omnem, praeter consuetam debilitatem, molestiam, pulsus frequentes et sudores nocturni remanent, hecticis similes, in eo tamen ab istis diversi, quod morbi caussam, per sudores praegressos

---

(1) *Comment. Tom. V. ad* §. *Boerh.* 1408.

(2) Referri huc possunt, quae HIPPOCRATES *de Nat. hom.* edit. CHARTER. *Tom. III. pag.* 132 de corporum extenuatione, summo durante Epidemia sanitatis praesidio, habet; V. SWIETEN. *Comment. Tom. V. p.* 155 *sqq.*

non satis devictam, e corpore eliminare, et crisin quasi protractam constituere videantur. In nonnullis tanta fuit horum sudorum frequentia, ut *ephemerum sudatoriam* referre viderentur.

Praemissis his, quae ad descriptionem morbi nostri generalem pertinere videntur, subjungenda huic Capitulo judicavi nonnulla de morbi caussa ejusque prognosi.

*Caussa morbi praedispones* sive προηγεμένη, nisi ea, quae omnibus mortalibus communis est, tam parum in hoc nostro morbo requiritur, ut vel sanissimos miasma illud atmosphaericum, — quae sola est *caussa morbi occasionalis*, sive πρόφασις — aggrediatur, imò ferocius in illos saevire observetur. Atque hîc loci mirandum sane venit, quomodo caussa atmosphaerica, quae tamen in *eâdem* Epidemiâ *eadem* supponi debet, tam varias morborum formas, tamque late distantia, imo plane contraria sibi symptomata producere potuerit. Aestas vero tota anni 1826 cum fuerit siccissima simul et calidissima, ita ut summa adesset aquarum dulcium penuria, fieri aliter non potuit, quin tota nostra, quâ patet, regio canalibus intersecta vastam quasi referret superficiem paludem plenam, miasmatis illius atmosphaerici matrem fecundissimam, cui soli vel pessimi morbi epidemici debentur; cujus quidem rei

exempla tam obvia sunt, ut illa speciatim ex auctoribus adducere supervacuum foret (1). Miasma vero illud atmosphaericum nihil aliud esse, quam aërem palustrem, sive miasma ex solo nostro paludoso radiis solis exusto evolutum, facile intelligitur, neque sane latere potest, quomodo, posita hac caussa, *intermittentem* morbus *indolem* monstraverit (2). Sub iisdem nimirum aquarum et locorum conditionibus febres oriuntur intermittentes in Zelandia endemicae, quibus certo certius principium atmosphaericum simile subest, vel plane idem; neque multum a terrarum nostrarum indole abest insularum *Indiae occidentalis* (3) conditio; ubi *typhus icterodes* endemius semper, quotannis ex caussis similibus recrudescit, ac sunt illae, quae funestissimam hancce aestatem comitatae sunt; cujus quidem febris flavae summa intercedit cum morbi nostri ea specie, quam cholericam appellavimus, similitudo.

Pestiferi vero illius principii paludosi naturam cum clarius intelligere optarem, plures de indole hujus aëris ejusque in corpus vivum actione auctores evolvi, sed incassum; id

---

(1) V. Baglivii *Prax. med. Lib. I. Cap. XV. §. 4. pag. m.* 158.

(2) V. K. Sprengel *Patholog. Vol. II.* §. 156 *seqq.*

(3) Praecipue huc pertinet insula Barbados. V. K. Sprengel *Pathol. Vol. I.* §. 790.

modó edoctus, quod jampridem mihi innotuerat, constare illud effluvium gaze hydrogenio proto-carbonato (1), quod quidem an forte alicujus sit momenti, in posterum videbimus.

Etsi autem morbus insolito aestatis calori rectissime in genere adscribatur, utpote materiae illius pestiferae difflationi quammaxime faventis sub suffocantibus tamen pene ardoribus, quae in posteriori mensis Augusti parte et in initio Septembris summum attigerant gradum, — sub summis itaque illis caloribus morbus manifestas inducias pati, imo pene silere visus est. Cujus quidem phaenomeni ratio vel in eo potissimum quaerenda est, quod summa ipsarum paludum solis radiis exustarum altasque jamjam fissuras agentium, siccitas evolvendo aëri mephitico non amplius faveret, vel et inde forte explicanda videri posset, quod hocce tempore, postque tantam civium stragem individuorum *receptivorum* (sit venia verbo) numerus diminui jamjam coeperit. Priori vero explicationi, quae vero proxima videtur, id quoque prae ceteris arridet, quod et egregie opinionem nostram de effluvio paludoso tamquam morbi caussa occasionali confirmat, quod

---

(1) V. Thénard *Lehrbuch der theor. und. pract. Chemie. Vol. I. pag.* 44.

nempe parvae pluviae, cum insequente, ut fieri plerumque solebat, calore majore, morbum auxisse constanter visae sint, irrorato scilicet denuo, et ad spirandum miasma praeparato rursus, limo illo paludoso, prius effecto (1).

Referenda huc videtur saepius agitata quaestio de eo, an morbo huic nostro vel per se vel sub quibusdam conditionibus *contagium* tribuendum sit; quae quidem quaestio eo magis civium ipsorumque magistratuum attentionem movere debuit, cum certo constiterit, alicujus domus incolam morbo prehensum, ceteros domus socios in morbi societatem facile trahere, ita ut ex tali familia rarissime unus vel alter immunis a morbo relinqueretur.

Jam vero *primo*, cum ex praecedentibus satis elucescat, principium illud oeconomiae animali infensum, quod morbo subest, originis esse *vegetabilis*, quomodo tale principium in ipso corpore animali aegrotante, aliorum contagiorum *animalium* ad instar, regigni possit, difficulter sane intelligitur.

*Dein vero* vel ipsa morbi hujus universitas, qui eodem fere die centenos hucusque sanissimos uno quasi ictu mulctavit, latius longe

---

(1) V. Swieteni *Commentar. Tom. V. pag. m.* 170. *ad* §. *Boerh.* 1408.

diffusam et universalem caussam supponere videtur (1), ut taceam, nullum fere affirmari potuisse casum, ubi de contagio ex alio aegrotante suscepto constaret, cum centeni e contra prostarent, in quibus sine levissimo caussae antegressae vestigio repente morbus aegrotum prehenderet; uti etiam in genere morbus ab alia quacunque caussa occasionali aperta — praeter miasma atmosphaericum — numquam oriri observatus est. Sufficeret forte ipsorum medicorum exemplo uti, qui, quamvis centenis quotidie aegrotantibus quovis diei et noctis tempore adesse debuerint, vel omnes tamen immunes a morbo manserunt.

Accedit *porro*, quod ipsa propagationis methodus, quae non fiebat serpendo quasi de domo ad domum, sed rapidi fluminis ad instar, uno quasi impetu totam viciniam inundantis, — quod illa, inquam, propagationis methodus atmosphaericae potius caussae omnes omnino ambienti (2) propria sit, dum in morbo

(1) » *Quum multi homines uno morbo corripiuntur eodem tem-*
» *pore, in id quod maxime commune est, quoque omnes*
» *utimur, potissimum rejicienda caussa est. Id autem est,*
» *quod inspirando trahimus.* »

V. Swietenii *Comment. Tom. V. pag.* 155. *ibique cit. Hippocrat. de Natura hom. text.* 2 *et* 3. Charter. *Tom. III. pag.* 131.

(2) » *Quid enim sine hoc (aëre) fit tandem? aut a quonam hic*
» *abest? aut cui non praesens est?* »

Hippocrates *de flat. cap.* 2. Charter. *Tom. VI. pag.* 214.

contagioso vel latissime diffuso uniuscujusque fere aegrotantis historia ab origine repeti, et digito quasi monstrari possit, unde proxime malum ad huncce praecise hominem devolutum fuerit.

Si, quae hucusque diximus, sollicite perpendantur, extra omnem dubitationis aleam positum esse spero, morbum nostrum, dirissimum quamvis, e genere contagiosorum non esse, neque igitur de arcenda illa morbi caussa per totum atmosphaerae nostrae ambitum longe lateque diffusâ, et comprimendâ sic Epidemia cogitari e ratione potuisse. Neque tamen silentio praetereunda est, quam supra de indole aëris paludosi chemica innuimus, sententia, idque eo minus; cum, quae primo intuitu impossibilis videri posset, miasmatis illius deletio, effici tamen quodammodo potuisse videri forte posset.

Testatur enim Sorbait (1), « *vindemiarum tempore, cum musta fermentescerent, pestim circa Mosellam grassantem miraculi adinstar suppressam fuisse.* » Jam vero cogitatio subiit, annon illud ipsum, quod magnae hîc accidit atmosphaerae portioni, a miasmate pestifero repletae, id forte in cubiculis et domibus aeque posset effici ratione miasmatis nostri paludosi,

---

(1) *Consil. de peste Viennensi, pag.* 88.

si, quod verosimillimum videbatur, vapores ex acido muriatico oxygenato sive chlorino decomponendo huic miasmati pares essent. Datâ nunc occasione, quum in aedibus hujus loci militaribus, fossae perquam paludosae appositis novi quotidie a morbo corriperentur milites, in eodem cubiculo fossae memoratae quamproximo degentes, hasce fumigationes, quae a celeberrimo Guyton-Morveau nomen traxerunt, experimenti gratia adhibendas curavi, eo quidem cum effectu, ut ab hoc inde die *nemo* militum hoc in cubiculo degentium correptus amplius fuerit, dum antea duo quotidie morbo succumberent.

Subjungenda hîc loci commode videtur ventilata a nonnullis opinio, quae *diluvio illi ferocissimo*, quod ruinam fere terris nostris paravit mense Februario 1825, potissimam Epidemiae hujus caussae partem adsignandam voluit, idque eo magis, cum seculo et quod excurrit elapso, similem Epidemiam simile tunc temporis diluvium secutam fuisse in Annalibus recenseatur.

Et sane negandum non est, in illis regionis nostrae plagis, ubi diu satis aquae marinae eo tempore stagnaverant, morbum prae ceteris grassatum fuisse. Cui quidem opinioni etsi id opponi videri possit, in locis terrae nostrae mari quam proximis — *Groden* vocatis —, ubi

maxima aquarum dulcium penuria simul cum sequelis diluvii illius horrendis hac aestate reperiebatur, *minorem longe aegrotantium numerum* adfuisse, ratio tamen hujus phaenomeni in promtu est. *Primo* enim regionum harum maritimarum solum magis est sabulosum; *secundo* aquarum dulcium penuria quotannis locum ibi habet, ita ut effluviis paludosis ex fossis sabulosis, recentioribus, quotannis exsiccatis, minor sit locus. *Tertio* denique aquae marinae per satis breve tempus in locis hisce motui maris subjectis stagnare hoc anno potuerunt, cum eaedem in locis a mari remotioribus per menses moram gesserint.

Etsi igitur concludendum ab hac parte videri posset, diluvium illud pro parte saltem Epidemiae caussam constituere potuisse, praeter tamen Jacksonii (1) auctoritatem, id, et quidem maximi momenti argumentum obstat, in ipsa hac urbe nostra *Jevera*, ubi ne vel guttula aquae marinae pertigit, fomitem quasi morbi haesisse, dum e contra, uti in praecedentibus monstravimus, eadem haec nostra urbs effluviis mere paludosis, ventis minus ac in planitie ambiente difflatis et dispersis, obnoxium quammaxime fuerit.

---

(1) *Ueber die Fieber in Jamaica*, pag. 57.

Pertractatis sic, quae ad remotas morbi caussas pertinent, commemorare verbo saltem liceat obsoletam hodie, quam nonnulli in medium protulerunt, opinionem de *caussa Epidemiarum animata*, generatione aequivoca in aëre prognatâ (1), eo saltem scopo, ut singularis hujus anni funesti phaenomeni mentio injiciatur. Incredibilis nimirum adfuit ubique, praesertim in cubiculis domorum apricis et inhabitatis, copia muscarum ano luteo instructarum et mellis odorem spirantium. Notabilis et huc pertinet Hildani observatio (2), qui illo ipso tempore, quo pestis in urbe Lausanna grassabatur, « *muscarum copiam tantam fuisse narrat, ut post hominum memoriam vix tanta visa fuerit.* »

Caussa vero morbi nostri proxima, sive ipsa, ut dicunt, morbi *essentia*, cum in nullo omnino obscurior sit, quam in ipsa febre intermittente, eadem sane difficultas in indaganda intimâ morbi hujus nostri naturâ et nos premeret, nisi hac disquisitione in integrum supersedere — uti revera est, — satius sit, quae ceterum disquisitio, praeterea quod

---

(1) V. Swieten. *Comment. Tom. V. pag.* 176 *ibique cit. Varronem et Columellam.*

(2) *Centur. IV. Observat.* 23.

speciosa magis quam vera videri posset, quoad praxin momento caret.

Absolutis nunc, quae ad morbi nostri diagnosin et aetiologiam pertinent, pauca monere liceat de ejusdem *prognosi*, quae omnibus harum febrium speciebus communia sunt, dum, quae hoc de Capite dicenda restant, ad privatam uniuscujusque speciei historiam consulto delegamus.

Et *primo* quidem notandum hîc venit, dies vere criticos hoc in morbo omnino *non* fuisse observatos, idque eo minus, cum nonnisi audaci admodum et constanti medendi methodo impetrari id potuerit, ut languentes jam ab initio naturae vires crisi producendae pares sustinerentur. Dies nimirum illi critici, naturae certe opus, sed nondum fractae et integrae, cum nullibi clarius conspiciantur, quam ubi expectante magis et Hippocratica methodo uti licet, facile intelligitur, temere admodum talem naturae αὐτοκράτειαν expectari, ubi pestifero quasi afflatu vel ipsa vis vitalis in arce sua obsessa, compressa ab initio jacet, imo ubi haec ipsa principii vitalis — a qua sola omnis crisis pendet — quasi paralysis intimam morbi naturam constituere videtur.

Quo minus ergo ardores febriles decrementum et intermissionem pati viderentur, quo

profundiore sopore aeger sepelitus quasi jaceret, quo magis diarrhoea et vomitus urgerent, cute vel urente et sicca, vel, quod pejus adhuc erat, frigidâ et sudore viscido madente, facies quo collapsa magis, oculorum splendore jamjam fracto, lingua siccâ, fissâ et nigricante, — eo majora aegrotum pericula circumdare dicendum fuit, dum vel salus tota a plenaria febris intermissione penderet, per quam interdum solam morbus ad simplicem et nativam quasi formam reductus, comprimi levissimâ operâ potuit. — Facillime ceterum eos correptos vidimus, qui tertianâ jamjam laborarent, nisi haec ipsa forte *primae nostrae speciei* rectius adnumeranda videatur. — Frequentissima vero, et quae principalem in judicando hoc morbo locum tenet, crisis, *sudor* fuit, isque universalis et vaporosus, qui, nisi colliquativus, criticus *semper* fuit et quammaxime expetendus, evanescentibus quippe post illum caloribus, sopore, vomitu omnibusque symptomatibus, et inductis sic morbo intermissionibus perfectis, quod ubique summum erat. — Odor vero hujus sudoris *omnibus idem* et specifice nares feriens, ingratus observabatur, panem interdum secalinum recenter coctum, ut in aliis intermittentibus, vel acetum vappidum spirans, interdum putridus, intolerabilis saepe. In casu rarissimo colorem ex eo sudore

nigricantem linteaminibus inductum vidi. Violentissimam bilis emesin omnibus remediis rebellem, sudor prorumpens ilico compescuit, uti et idem vomiturationem summam, idque sine omni bilis ejectione, promtissime cohibuisse visus est, ita ut *ipsam materiem morbificam* per cutis spiracula *ejici* in hoc morbo, non sine ratione contendi posse videatur.

Docet idem plerorumque malignissimorum acutorum morborum exemplum, in quibus vel nullus omnino habetur, cui sudor universalis, vaporosus cum bonis aegri rebus *non* superveniat.

Alterum in solvendo feliciter morbo locum sibi vindicat urina hypostatica, et qualis in intermittentibus laudatur, sedimento lateritio instructa, quae quidem, priori evacuationi juncta, optabilem maxime morbi exitum promittere constanter visa est. Neque tamen haec ita sunt intelligenda, ac si sola natura, quae his ipsis crisibus producendis in casibus tantum rarissimis sufficiebat, sine artis salutaris adminiculo morbum per se debellare potuerit. Tantum e contra ab hoc abfuit, ut vel hacce favorabili rerum sub positione, nisi promte succurreretur, mors certa in propinquo esset. —

In casibus quamplurimis, praesertim in initio Epidemiae, exanthema miliare rubrum, psorae interdum simile, crisibus superveniebat,

lein desquamandum, quod et ipsum in nonnullis casibus morbum ipsum praecavisse creditum est. — Exanthema pustulosum circa labia, quale in intermittente legitima observatur, et hic similiter bona ominabatur. — Surditas superveniens, in aliis acutis gravioribus, (uti in illa, quae annis aliquot elapsis apud nos grassata est, febri petechiali) saepissime critica, dubia hic fuit. — Agrypnia morbum constanter fere concomitans, quamvis bona per se haberi non potuerit, post sudores criticos levari tamen solita, et praeferenda utique somnolentiae fuit, quae, mala semper, graviorem morbi decursum ejusdemque in continuitatem nisum, interdum etiam apoplexias et comata lethalia praedicere visa est. — Quibus sudores non erumpebant, malum. — Evacuatio bilis sine alia criseos specie morbum judicasse nunquam visa est. — Stranguria fere semper bona, urinam criticam significavit. — Oedema pedum bonum, reconvalescentibus familiare, adstringentibus retropulsum, saepius lethale. — Diarrhoea semper mala, promtissime cohibenda. — Obstructio alvi e contra melioris ominis fuit, praecipue in reconvalescentibus, quibus vel levissima catharsis debilitatem augere, imo morbum revocare visa fuit.

Singularis denique memoranda venit criseos species, nonnunquam mihi observata,

angina nempe uvularis summe dolorifica, erisipelati faucium primo intuitu similis, quae vero, propius examinata, verum et genuinum exhibebat *exanthema miliare*, quale in cute efflorescere antea monitum fuit, uvulam et velum palatinum obsidens, et suppurationem interdum superficialem desquamationis loco subiens, quam quidem ultimam in faucibus vix locum habere posse, per se patet.

Quae ceterum de paroxysmorum anticipantium vel et postponentium momento nostrates somniantur, ea flocci aestimanda sunt. Unum id comprobatum mihi fuit, quod, si post exhibitum Corticem febris accessio nycthaemerum anticiparet, sequentes omnes evanescere plerumque cernerentur.

Quae nunc ad morbi curationem pertinent, cum aliorsum commodius referantur, huic Capitulo de generali morbi historia et descriptione finem hîc imponimus, ad specierum pertractationem progressuri, quas quidem omnes revera observavimus.

## CAPUT IV.

### *Febris paludosa simplex.*

*Febrim paludosam simplicem* eam vocamus, quae tertianae legitimae simplici vel duplici

simillima, vix nisi indole tectâ a priori differt, ita ut vel vulgus, cujus non semper contemnenda est in ferendis judiciis perspicacia, ex sola virium prostratione, tertianaeque superveniente, morbum perniciosum rectissime dijudicaret. Eodem igitur modo ac, monente SWIETENIO (1), ephemera benigna ab ephemera Britannica, — eodem plane modo tertiana legitima ab ipsa nostra febre paludosa simplici vix nisi *malignitate* differt. Imo tanta fuit hujus primae et simplicissimae febris paludosae speciei cum tertiana legitima similitudo, ut ancilla alteri in platea obvia, quum de morbo καθ' ἐξοχὴν confabularentur, mirabunda narraret, hominem a paucis inde minutis *tertianâ* fuisse extinctum. — Perniciosam autem lenitati huic insidiosae subesse caussam, eamque miasmaticam illam omnibus speciebus communem, *extitisse igitur revera* illam, quam in fronte collocavimus, speciem, docuit praeter virium collapsum a tertiana simplici vix expectandam, facilis hujus speciei in aliam vel et continuam transitus; docuit praeterea crisium ratio et tractationis methodus, quae non alia ac in reliquis esse debuit, habita utcunque symptomatis concomitantis ratione. Nulli igitur durante hac

(1) *Comment. ad Aphor.* 1404. 1412.

Epidemia fidendum fuit tertianae vel simplicissimae visae, sed comprimenda ilico, uti in posterum videbimus, etsi negandum non sit, minora utcunque a febre hac simplici, symptomate comitante experte, aegrotum pericula circumdare. Singularis et huic speciei propria fuit sudorum profusissimorum et vires exhaurientium copia, ita ut hoc respectu *sudatoria* forte appellanda videri posset.

## CAPUT V.

### *Febris paludosa cholerica.*

Secunda perniciosarum nostrarum species *cholerica* est, i. e. quae singulis cholerae symptomatibus stipatur, a qua tamen cholera sollicite distingui morbus debet, evanescentibus quippe durante apyrexia symptomatibus illis, quae, monente quoque Burserio (1), non sunt nisi gravioris febris effecta, eamque sequuntur.

Paullo vero enucleatius speciem hanc perstringere eo magis convenit, quum partim major ejusdem frequentia majorem illi prae ceteris comparaverit medicorum attentionem, partim vero, cum symptomatum quasi bilio-

(1) *Instit. Med. Pract. Vol. I. pag.* 195 *Edit. Heckeri.*

sorum in hac febre praesentia veram morbi naturam per longum satis tempus obfuscaverit, et sic funestissimis in artis erroribus ansam dederit.

Praecedentibus nimirum duabus vel tribus tertianae legitimae accessionibus, sub frigoribus interdum majoribus, interdum nullis, sub cute arente et arida, sapore oris amaro, cephalalgia intensiore, praecordiis utplurimum angoribus, anorexia et vomituritionibus, sub summa cardiae sensibilitate, tensione, doloreque ad attactus aucto, vel in ipso horroris stadio, vel illo jamjam ad finem vergente, vomitus oritur primo eorum quae ventriculo continentur, bile remistorum, dein vero bilis sincerae utplurimum aeruginosae, summo cum conatu rejectae, cum simultanea utplurimum et biliosa alvi dejectione, frequenti et summam debilitatem inducente. Rejiciuntur simul a ventriculo cujusvis stimuli impatiente, quaecunque ingeruntur, donec, absoluta fere accessione, sudores copiosi et haec turbas compescant. Si morbus, uti plerumque fit, typum habeat tertianae duplicis, tunc *majori tantum* — quod notari omnino meretur — febris accessioni, quae alternis diebus subintrat, symptomata haecce cholerica juncta habentur, dum minor tertianae insultus simpliciorem decursum tertianae legitimae adinstar

servet. — Apparente vero rursus altero illo accessionis majoris die, intensius reverti omnia symptomata solent, et interitum tandem exhausto penitus aegro minantur. Interdum derepente et ex improviso morbus adoritur sine eo ut febris praecedat, casu ex Epidemia et periodo tertiana facile dignoscendo. — In nonnullis casibus a summis ventris torminibus tactum fugientibus, cum hypochondriorum tensione exorsa aegritudo, in corporibus robustis, juvenilibus, femininis praecipue menstrua expectantibus vel nondum expertis — exteritidem mentiri funestissimosque medicorum errores produxisse visa est.

Memorabilis quammaxime fuit, quem nonnulli hanc morbi speciem graviter perpessi exhibuerunt, color ictericius, neque haec sola fuit, quae hanc cholericam hostiam inter et *febrim flavam* intercedebat comparationis linea. Si enim, quae K. Sprengel (1) de febre flava, imprimis de leniori illius forma, notat, sollicite perpendantur, magna, spero, elucescet hujus affectionis cum cholerica graviori similitudo, cui quidem accedit, quod idem ille typhus icterodes, praesertim ille qui in Demerary frequens est, typum manifeste tertianum habeat,

(1) *Pathol. Vol. II.* §. 97.

et ab omnibus ibi loci medicis pro morbo *non — contagioso* habeatur. Vel ipsa illa, centenis testibus confirmata, observatio, morbum illum pestiferum *indigenis* minus longe esse infensum, apud nos confirmata quoque fuit, eo quidem gradu, ut nuperrime advenientes vel ipso adventus die saepissime et graviter morbo prehenderentur, furente magis in inquetos et advenas miasmate paludoso, quam in nostrates, qui certam jamjam cum illo consuetudinem contraxisse videbantur. Sudorem antea memoratum, linteamina colore nigro, et qualis a sulphure externe applicito oriri solet, inficientem, in hac specie semel post quamvis febris accessionem observavi, qui quidem sudor specificam materiae perspirabilis in hoc morbo qualitatem confirmare videtur.

Ceterum crises huic morbi speciei proprias non observavi, sed ex sudoribus universalibus vaporosis et urina hypostatica sedimentum lateritium deponente, completa plerumque apyrexia et cum eadem salus pendere consuevit, evacuationibus interim biliosis, quod aliis visum fuit ne hilum quidem proficientibus.

## CAPUT VI.

### *Febris paludosa cephalica.*

Tertio loco collocanda videtur ea febris paludosae species, quam *cephalicam* appellare convenit, symptomatibus utpote, quae affectum principaliter cerebrum indicant, conspicuam. A solo nimirum capitis dolore majore, pungente ad ipsam apoplexiam usque evectum hocce capitis affecti symptoma, speciei huic proprium, varios constituere videbatur hujus morbi quasi gradus, *febris paludosae soporosae, comatosae, lethargicae, caroticae vel et apoplecticae nomine* pro varia hujus symptomatis intensitate insigniendos.

Vel igitur primae febris accessioni, vel secundae, vel tertiae grave hocce symptoma sese associare consuevit, omniumque specierum funestissima plurima haec longe civium funera sibi paravit. Idem et *Groningae* locum habuisse videtur, ubi scilicet adultae jamjam Epidemiae hocce prae ceteris symptoma principatum tenuisse videtur. Monente vero Berserio (1) perniciosum hocce symptoma, quod primum defervescente febre paullatim discutitur, dein

(1) *L. c. Vol I.* §. 170.

non evanescit in totum, cum etiam intermissionis tempore utplurimum aliqua in somnum propensio remaneat.

In uno casu febrem observavi apoplecticam adeo exquisitam, ut hominem mediae aetatis, pridie sanum, trium horarum spatio, vel ipso primo paroxysmo, jugulaverit. Veram vero et genuinam apoplexiam, miasmate expertem hîc *non* adfuisse, habitus docuit apoplectici in hoc individuo absentia, docuitque praeterea casuum similium, sed minus gravium, analogia, et febricitatio, quae in apoplecticis veri nominis plane abesse consuevit, ita ut pulsus in vera idiopathica et protopathica apoplexia rari potius et tardi observentur, etsi absolutam ceterum apoplexiae imaginem morbus utique referret. Profundo nimirum veterno oppressus aegrotus, difficilius semper reviviscit, donec tandem apoplecticorum more succumbat. Imo tanta, monente eodem Burserio, videtur vel eorum, qui morbum hunc superaverunt, in apoplexias idiopathicas esse propensio, ut, quamvis Cortice pro tempore servati, dein persaepe inopinato e medio tollantur.

Pertinet huc quoque ea morbi species, quae, etsi symptomatibus apoplecticis non stipata, hemiplegiam tamen reliquisse visa est, et nomen *hemiplegicae* merito ab hoc symptomate trahere videtur.

Interdum lenior morbi facies esse consuevit, leniore utpote capitis affectione stipati, quae, uti antea monitum fuit, ad solum capitis dolorem solito intensiorem, pungentem restringitur, cum deliriis blandis soporibusque mitioribus sudore critico diffiandis, et durante apyrexia in integrum cessantibus.

Referri ad hanc *cephalicarum* classem commode videtur ea febris nostrae species, quae diverso et contrario praecedentibus affecti cerebri symptomate incedit, *phrenitica* nempe quae phrenitidem egregie mentiens, persaepe insidias struit, idque eo magis, cum non sine aliqua encephalitidis suspicione ubique esse videatur. — Eadem igitur, ac de praecedente specie monuimus, ratione, singula cum ipsa febris accessione suboriuntur phrenitidis verae et idiopathicae symptomata, cephalalgia pungente, delirio interdum furioso, interdum blandiore, aspectu oculorum truci, respiratione rara et sputatione frequenti dignoscenda, quae tamen omnia, vel plurima saltem, cum ipsa febre disparent, superstite utcunque, quae et *soporosae* propria esse solet, magna rerum oblivione capitisque obnubilatione, quae quidem longaevam satis et per menses durantem in nonnullis affectionem constituisse visae sunt. — Narium haemorrhagiam frequenter huic potissimum morbi speciei supervenientem

vidi, quae interim, modica, nihil omnino mutavisse, paullo vero fortior vires egregie pessumdare visa fuit. Singularem visûs debilitatem, oculorumque, interdum unius, amblyopiam amauroticam per menses superstitem in hac specie frequentius videre licuit, quae hoc itaque titulo *febri coecae Morandi* adnumerari posset.

Memorari denique verbo saltem hîc loci meretur rarior classis hujus *cephalicae* species, quam semel tantum vidi, *ecstatica* nempe, quae eodem, ac de praecedentibus monui, modo, cum singulari mentis exaltatione incedebat. Notabilis maxime in casu a me observato adfuit in versibus durante paroxysmo recitandis et conscribendis facilitas, quos, etsi minime perfectos, tolerabiles tamen, in statu sano conficere nunquam potuisset homo literarum ceterum rudis et fere plebejus. Finita ceterum accessione nihil eorum quae durante hocce delirio conscripserat, amplius recordabatur.

## CAPUT VII.

### *Febris paludosa syncoptica, eclamptica et aphonica.*

Debilioribus, adolescentibus et hystericis familiaris maxime fuit, quam *syncopticae, eclampticae* vel et *aphonicae* febris sub titulo comprehendendam hac sub classe duximus, aegritudo. Quemadmodum vero apoplexia a syncope eo potissimum distat, quod in priore affectione functiones vitales et animales suppressae jaceant, dum in syncope functiones omnes, diverso tamen gradu, cohibeantur: eodem plane modo illa, quam *apoplecticam* appellavimus, febris, ab hac nostra specie distinguitur. *Larvatae* formam quum species haec prae se ferre frequentius observetur, eo majores hanc ipsam diagnosis difficultates premere facile intelligitur, cum, nisi Epidemia lucem hîc accenderet, pulsuum ratio, quae in ceteris plerisque medentem ducit, febrim minime indicet.

Gravissimum hujus generis casum videre contigit, in quo de aegrotâ, *per quindecim horas* syncope perfecta oppressâ conclamatum jamjam videretur, revocatâ tamen feliciter ab orci finibus excitantium ope fugiente jamjam animâ, et restitutâ in integrum ope Corticis

aegrotante. Completam quoque, quam in Capitulo praecedenti notavimus, amaurosin, lente admodum cedentem, et hîc observavimus.

Eadem, quae praecedentium, ratio fuit febris paludosae *eclampticaê* et *aphonicae*, quae praeter symptoma unicuique speciei proprium nihil memoratu dignum, quod non ex praecedentibus supponi facile possit, habebant.

## CAPUT VIII.

### *Febris paludosa protracta et typhodes.*

Jam in initio monuimus, omnes quas hucusque recensuimus, morbi nostri epidemici species, nisi statim symptomate aliquo lethifero mortem inducerent, vel sibi relictas, vel male tractatas, vel et sine medentis culpa in typhum singularem abire consuevisse, qui febrem interdum *nervosam lentam* (1) exhibuit, genio Epidemiae utcunque accommodatam, interdum verò *hecticae* similis observatus est.

Nonnunquam vel statim ab initio morbus hanc formam induit, si aegrotus, *leviori* utique, ut videtur, miasmatis afflatu tactus, juvenilis ceterum et viribus valens, violenter

(1) J. P. Frank *Epitom. Lib. I.* §. 91.

resistat, neque lecto sese affigi patiatur, ita ut crisis temere quasi retenta, perfectam morbi solutionem efficere non valeat, miasmate interim paludoso, crisi idonea etsi non rejecto, temporis tractu quasi extenuato. Obscurato vero magis magisque, qui ab initio adhuc observatur, typo tertiano, vel in pomeridianum, hecticarum more mutato, in *chronicam* potius affectionem morbus excurrere videtur, protractis quoque omnibus, quae morbo propria sunt, symptomatibus.

Neque tamen reticendum hîc est, etsi proprium huic speciei caput adsignare haud dubitaverimus, a *cholerica* tamen prae ceteris morbi specie febrim hanc *paludosam protractam* vel et *typhodem* oriri, quae constantissimo quoque anorexiae symptomate fere semper stipatur. Sub pulsibus vero celeribus, duris, parvis et frequentibus obscurae jam ab initio remissiones in integrum disparent; augetur sub ardoribus, praecipue volae manus et plantae pedis, siccis, sub cute arida, rugosa, *flavescente*, sub faciei aspectu senili carnibusque flaccidis in immensum debilitas, ita ut lectum deserere non amplius possint, ad quemvis corporis motum, ad cardiae attactum, vel sub solo jam situ erecto, anorexia augetur, ipsumque instat animi deliquium. Accedunt nunc tussis arida, nocturna praecipue somnumque

turbans, cum punctorio interdum et quasi pleuritico lateris dolore, vel et profusa puriformium expectoratio cum sudoribus nocturnis, viscidis, *odorem huic morbo proprium spirantibus*, colliquativis. Sub universali tandem hydrope anasarca, qui et ocius interdum apparere consuevit, vel et extremâ corporis macie summoque virium collapsu, nisi tempestive succuratur, extinguitur aeger.

In aliis casibus, typhodem potius hujus speciei formam referentibus, acutiorem decursum servans morbus in continuam nervosam mutatur, servato interim magis minusve conspicuo tertianae duplicis typo, qui quidem decursus *primae* potissimum speciei nostrae tribuendus videtur, juncto tamen in antecessum accessioni uni vel alteri symptomate aliquo cholerico.

Et quidem mirandum sane videri posset, protractam, quam ultimo memoravimus, morbi speciem tam raro lethalem fuisse, nisi perpendatur, longiorem utique hujus formae decursum medicinae faciendae commodiorem praebuisse occasionem, neque tam praesens hîc vitae periculum, ac in ceteris speciebus, extitisse. Accedit, quod febris illa paludosa protracta, quamvis fere singula in nonnullis exhibuerit phthiseos pulmonalis symptomata, diversam tamen longe a phthisi genuina indolem habuisse

et methodo in hac Epidemia solenni facile obtemperare visa fuerit. Vel ipsi, quos notavimus sudores, profusissimi, colliquativis etsi similes, *protractae quasi criseos* naturam monstrare videbantur, ita ut aliqua saltem symptomatum remissio post illos constanter observaretur, sine illis vero vel nullus omnino servari potuerit.

## CAPUT IX.

### *Generalia de Epidemiae curatione.*

Ne fastidiosa rerum repetitione lectoris patientiam exhauriam, generalia hîc primo de iis, quae omnibus Epidemiae nostrae speciebus communia sunt, praemittere liceat, ubi in antecessum monendum venit, diversas morbi nostri species diversam vix, nisi quae symptomatibus unicuique propriis oppugnandis inservit, medicinam exigere, omnesque ceterum, ad simplicitatem quasi reductas, constitutionis epidemicae dominium eo gradu agnoscere, ut *omnis fere*, quae aetati, sexui et temperamento tribui plerumque a medicis solet, *deferentia absorberetur* quasi, et illa methodus, quae morbo in genere conveniret, in quodcunque quoque individuum — mutatis perpaucis — quadraret.

In instituenda itaque morbi, quem hucusque

descripsimus, curatione, *tribus* potissimum satisfaciendum fuit *indicationibus*, quarum *prima*, eaque maximi certe momenti habenda, in eo consistit, *ut viribus vitalibus utcunque succurratur.* Certe, si unquam, in hac nostra Epidemia patuit, quam egregie acutissimus quondam Brownius de Arte nostra meruerit, qui simili forte suo tempore constitutione epidemica eo ductus ut *indicationi vitali* neglectae nimis, antiqua sua jura vindicaret, in eo solummodo vituperandus erat, quod veterum Methodicorum adinstar, theoriae suae dynamicae firmiter nimis, et nullâ constitutionis epidemicae mutatae ratione habita, inhaerens, omnem aliam indicationem rejecerit. Quicquid vero sit, principium Epidemiae nostrae cum subesset, quod cum genio morborum universali, uti dictum, conspirans, fontem vitalem directe aggrediretur, *alexipharmacis expellendum* illud omni molimine fuit, neglecta in casibus gravioribus omni indicatione secundaria, cum sic demum, quod ubique summum erat, notabilis febris remissio per sudores universales urinamque hypostaticam obtineri potuerit. In universum autem vel in casibus levioribus fortiores stimuli egregie ferebantur, dum in gravioribus vix nisi timiditate peccaretur, in desperatis vero desperata fere remedia convenirent.—Magis vero negligentiâ in hoc morbo nostro peccatum

fuisse, quam contra, eo magis naturale fuit, quum methodus excitans, hic tam egregie conveniens, per constitutionem epidemicam praegressam non minus ac per maculam methodo Brownianae inspersam suspecta, apud plerosque medicos in desuetudinem abiisset. Neque tamen silentio praetereundum hic est, mutatum valde fuisse Epidemiae characterem durante ejusdem decursu, ita ut, quae initio adhuc successerat, aegrotantium tractatio, deinde minus semper minusque placere, tandem vero in contrariam mutari a medicis vel invitissimis coepta fuerit. Quaecunque vero durante tota hac Epidemia hunc in scopum — ut scilicet febris ad intermissionem perduceretur — adhiberentur, ea omnia ex *diaphoreticorum* classe petita eo magis fuere, cum, impetratâ sic paroxysmi singuli per crisin idoneam terminatione, notabilis quoque *miasmatis per cutem dissipatio* obtineretur. — Pro varia vero, uti indicavimus, Epidemiae periodo, varia admodum hujus generis remedia eligenda fuerunt. Sic multi tertianae, legitimae visae, casus ope infusorum valerianae et chamomillae cum spiritu Mindereri et spiritu nitri dulcis in initio feliciter tractabantur, dum ea, quae dein in cholericam excursura erat, tertianae species, levioribus herbae menthae piperitae infusis cum saturatione Riveriana, subjuncto pro re nata

laudani paulullo, facile cederet. Ingravescente vero, uti diximus, tractu temporis Epidemia, adscendendum primo ad infusa florum arnicae fuit, additis liquore cornu cervi succinato et liquore anodino minerali Hoffmanni, donec ad illud, quod ab hoc inde tempore *specifici fere loco* nobis fuit, remedium, ad *radicem* nempe *serpentariae Virginianae* deventum tandem fuerit, cujus quidem remedii tantae sunt hac in Epidemia, easque meritissimae, laudes, ut, si ad duo auxilia reduci hic debeat medicus, exclusis omnibus aliis, *serpentaria et chininium sulphuricum* omnem hic forte paginam absolverent (1).

*Altera*, quam supra posuimus, *indicatio*, vitali illi proxime subjungenda, ipsaque vitalis adinstar habenda, in eo versatur, ut *Corticis*

---

(1) Formulam prioris remedii plerumque propinavi sequentem, in qua ex rationibus obviis juncta inveniuntur remedia duo alexipharmaca systema nerveum potenter erigentia.

*℞. Radicis serpent. Virg. ℥ij.*
*infund. ad Colatur. unc. v.*
*add.*
*Liq. c. c. succinat. ʒij.*
*— anodyn. miner. Hofm. ʒi.*
*Aq. menth. piper. ʒij.*
*Syr. Zingiberis unc. β.*
*M. D. S. Omni hora cochlear.*

*ope comprimatur promtissime febris*, simulac vel levissima ejusdem remissio appareat. Nihil sane, praesertim in Epidemiae ἀκμῆ, exitiale magis fuit, quam methodus expectativa, qua medici leniores, audacem Corticis usum reformidantes, et contra-indicationibus hujus remedii fictitiis justo nimis retenti, multorum, qui servari potuissent, dolenda funera habuere. Quod vero nunc quidem omnes vident, id in Epidemiae initio plerosque latuit medicos, donec numerosioribus indies civium funeribus moniti, methodum suam deserere, melioraque Artis praesidia quaerere coacti fuerint. — Neque tamen celandum hîc quoque est, quod jam antea innuimus, alium fuisse characterem Epidemiae nascentis, alium adultae et decrescentis. Constitutio nimirum stationaria per decennium fere proxime elapsum synochica, quae methodo antiphlogisticae, nostris temporibus adeo jactatae, vel sola famam comparavit, non nisi insensilibus fere gradibus in contrariam abiit, interjecta quasi periodo intermedia, cui aliquid adhuc de constitutione morborum, quae proxime praecesserat, inhaesisse videri possit. Factum ideo fuit, neque aliter fieri potuit, initio adhuc plures methodo illa leniori esse persanatos, antequam audax illa, in quâ sola salus dein erat, methodus, principatum tenere coeperit. — Sic, quibus in illa, quae praecesserat,

intermittentium Epidemia tanto cum fructu uti consueverant medici, decocto-infusis radicis caryophyllatae et calami aromatici cum extractis amaris, praesertim cardui Benedicti, juncto nonnunquam ipso liquore kali acetici, — iisdem illis et hujus Epidemiae in initio tuto interdum fidendum erat, ita ut vel ipsum chininum sulphuricum nocuisse interdum visum fuerit eâ, de qua loquimur, Epidemiae periodo, si tempestive nimis, ut videbatur, exhiberetur, vel remotis nondum caussis morbi simul agentibus, v. c. saburris, bile, plethorâ. Mutata vero dein rerum facie, tota haecce disparuit valoremque amisit contra-indicantium turba, dum ea sola, quae de conservanda vita agit, indicatio respicienda maneret.

Jam vero divini plane hac in Epidemia remedii, et quod in indicatione quam posuimus, implenda instar omnium erat, *chinini* nempe *sulphurici* laudes satis extollere quam parum valeam, dicendum hîc loci est, cujus quidem sacrae medicorum ancorae tam certa fuit in comprimendis febrium paroxysmis efficacia, ut, simulac illius in quantitate sufficiente exhibendi occasio fuerit, de salute aegrotantium certus essem. Quos vero perdidi, paucissimos sane, illos ex nulla alia caussa lugendos habui, quam quia chinini adhibendi locus non daretur. Jam vero dici et repeti satis non potest, posticam

persaepe occasionem esse calvam, negligendamque hîc esse omnem indicationem secundariam, ubi de vita agitur. Quinimo tanta fuit magni hujus remedii, tempore idoneo exhibiti in casibus tantum non omnibus, potentia, ut, an solo *febrifugi* titulo tam mirabilia praestiterit, merito dubitaveris, dum e contra auxilii hujus summe *antiseptici* in miasma *septicum* virtus et dominium *antidoti specifici* titulum jure vindicare illi videatur. — Impetratis igitur per illa quae primae nostrae indicationi inserviebant, vel levissimis morbi induciis, exhibendum sine mora fuit chininum sulphuricum, eâ quidem dosi, ut proxime insequens febris paroxysmus jugularetur, vel ita saltem infringeretur ejusdem vis, ut sine symptomate suo comitante, simplicis tertianae more — quod interdum evenit — decurreret, cui quidem scopo grana hujus remedii duo vel tria saccharo remista, et omni bihorio, vel et singulis apyrexiae horis ex vino generosiori porrecta, suffecerunt. Nullis vero in genere adjuvantibus in heroico hoc et quod solum sufficeret, remedio, opus fuit, excepto solo forte laudano, quod, nisi cephalica morbi species, remedio huic minus favens, vetaret, ejusdem efficaciam augere, et, ne per sedes cito nimis de corpore rursus expelleretur, egregie prohibere visum fuit. Pertinere huc quoque videtur verbo saltem memorandus *pulvis*

*aromaticus Pharmacopoeae Hannoveranae* (1), qui acribus, quae continet, virtutem per se jam febrifugam debens, commode admodum et cum fructu eximio cuivis chinini sulphurici granulo in quantitate duplo majori addi poterit. De remediorum ceterum acrium ad praecavendas morbi recidivas nonnullaque mala febrium nostrarum secundaria sananda virtute in posterum sermo erit.

*Tertia*, quae recensenda hîc venit, *indicatio generalis*, quum *in symptomatibus removendis* potissimum versetur, in speciali febrium curatione commodius perstringetur, ubi simul apparebit, indicationem hancce ultimam, symptomaticam quamvis, saepissime tamen esse vitalem, promtissimaque sibi exigere Artis praesidia. Id tantum monendum in antecessum hîc volui, perniciosarum nostrarum symptomata tantum non omnia, quamvis morbi, a quo nomen trahunt, imaginem magis minusve perfectam referre observentur, imo affectionis ejusdem idiopathicae more aegrotum durante paroxysmo jugulare consueverint, — illa omnia

---

(1) ℞. *Cassiae cinnamomeae unc. ij.*
*Cardamomi minor. excortic.*
*Zingiberis*
*Piperis albi aa. unc. j.*
*M.*

tamen symptomata concomitantia non nisi cautissime, et habito utcunque characteris Epidemiae fundamentalis respectu, esse tractanda. In illis potissimum, qui affectionis alicujus inflammatoriae speciem prae se ferunt, febribus, maximus saepissimae oritur indicationum quasi conflictus, ita ut summa mentis intentio aeque ac acuties ad solvendum feliciter huncce nodum requiratur.

## CAPUT X.

### *Cura febris paludosae simplicis.*

*Febris paludosa simplex* cum praeter debilitatem solito majorem, indolem tectam, facilemque in speciem aliquam graviorem vel et in continuitatem transitum nihil habeat, quod illam a tertiana legitima distinguat, agendum nihil quoque medico hîc restat, quam ut promtissime illam ope chinini sulphurici cohibere moliatur. Febres nimirum tertianae vel simplicissimae visae, malignitatem habere durante Epidemiâ consueverunt, et pro simplicibus et innocuis a medico vel incauto vel plus justo cunctatore ab initio tractae, et jamjam adultae, symptomate aliquo pernicioso serpente in societatem tracto, difficillime domabantur.

## CAPUT XI.

### *Cura febris paludosae cholericae.*

Solius esse febris effectus, quae biliosae morbi naturae false adscribuntur, speciei hujus symptomata, jam antea fusius explicavimus. Et jure quidem asseri potest bilis in genere non majus hîc esse momentum, quam ejus, quae durante *morbo nautico* evomitur, quae quidem soli nervorum commotioni originem debet. Quemadmodum vero febris haecce *cholerica* veram utique cholerae protopathicae imaginem durante paroxysmo refert, utpote summo omnino organorum chilopoiëticorum bilisque orgasmo stipata, sic quoque hujus ipsius status biliosi — symptomatici quamvis — ratio utique habenda est. Convenire itaque hoc titulo — et quidem hoc solo — possunt laudata aliis acidula, potio salina Riverii, aqua Selterana, aliaque hujus generis remedia, exceptis tamen, quae adhibuisse constanter poenituit, emeticis et purgantibus, utpote intimae morbi naturae constitutionique stationariae e diametro oppositis. — Neglectâ itaque in casibus quamplurimis secundariâ illâ, quae ab excretionum et secretionum indole petitur, indicatione, sub lingua sordibus obsessa, imo nigricante et fissa, vel et arida

et rubra, ad compescendas hasce turbas statim descendimus. Sub urgentibus itaque vomitionibus et alvi dejectionibus biliosis, *tincturam cinnamomi cum aequa laudani portione* (1) ex pauxillo decocti avenacei vino rubro Gallico remisti hauriendam praescribimus, additis fomentationibus aromaticis et spirituosis cum laudano remistis (2) et toti ventri ipsique dolentissimae regioni epigastricae calide impositis, donec emesis et diarrhoea sopiantur. Porrecto nunc, quod antea retinere ventriculus recusabat, *infuso serpentariae Virginianae* antea laudato, sudores critici finem paroxysmi optatum et quietem inducere plerumque solebant. Laudatâ aliis *emulsione amygdalarum compositâ*

---

(1) ℞. *Tinctur. cinnamomi* ℥iij
— *opii vinos.* ℥β.
*M. capiat omni semihorio guttas XX.*

(2) ℞. *Herb. majoranae.*
— *menthae piper.*
— *roris marini.*
— *serpylli.*
*Florum lavend. aa. unc.* β
*Caryophyllorum*
*Cubebarum aa. scrup. viij.*
*Laudani puri* ℥β.
*e. c. m. includantur sacculo laneo, qui spiritui vini calide immersus imponatur.*

*Pharmacopoeae Hannoveranae* (1) ad compescendos vomitus usus non fui, cum ea, quae adduxi, votis semper responderent. Deferveseentibus nunc, uti dictum, per sudores criticos ardoribus febrilibus, porrectoque audacter durante apyrexia chinino sulphurico cum pauxillo pulveris aromatici et laudani remisto, ex vino generosiori sumendo, sequens febris paroxysmus, dummodo aliquarum horarum spatium liberum superesset, redire non consuevit, vel ita debilis saltem, ut comprimi facillime potuerit. Linguam vero antea obsessam post chininum sulphuricum exhibitum tractabilem, mollem, humidam et puram evasisse, *semper* observavi. Servato nunc feliciter aegro, *decoctum Corticis Peruviani cum aqua cinnamomi et syrupo diacodii* cum fructu praescribimus, cum simplex illud Corticis Peruviani decoctum in praecavendis febrium recidivis vel ipso chinino sulphurico, quod in comprimendis ipsis

---

(1) ℞. *Amygdal. dulcium unc. β.*
*Semin. hyoscyami* ℈j. (!)
*fiat cum*
*Aquae ceras. nigr. unc. vjii.*
*emulsio. Colat. add.*
*Sacchari albi* ℨvj.
*Magnesiae ustae* ℨj.
*M.*

febrium paroxysmis instar omnium est, palmam praeripere visum fuerit. Eadem ceterum, quae in intermittentibus praescribi solet, victus ratio, in omnibus quoque febrium nostrarum speciebus saluberrima fuit. Evitatis itaque, quae nocere quammaxime solebant, farinosis, pinguibus, acidis et lacticiniis, carnium macilentorum juscula, vel et eaedem assatae, et sale, pipere, aliisque aromatibus conditae, simul cum vino generoso vel Gallico vel Lusitanico rubro, quammaxime conducere visa sunt.

## CAPUT XII.

### *Cura febris paludosae cephalicae.*

Gravissimam et prae ceteris lethalem fuisse, illam morbi speciem, quam *febris soporosae, comatosae, lethargicae, caroticae vel et apoplecticae* sub titulo pertractavimus, dictum fuit. Pro varia autem hujus symptomatis intensitate diversis utendum hîc fuit Artis auxiliis, inter quae summum ubique fuit *vesicatorii largi* ad nucham applicatio, cujus quidem remedii efficacia simul cum sinapismis fortioribus suris vel et plantae pedis impositis in levandis capitis affectionibus soporosis laudari satis nequit. Ex intellectâ vero morbi natura,

iisque quae antea monuimus, satis elucet, summis et maxime penetrantibus militandum hîc esse remediis nervinis, ut imminens jamjam *paralyseos cerebri* periculum avertatur, cum de apoplexia illa, quam sanguineam appellant, ne vel cogitare hoc in casu liceat. Propinato itaque sine mora concentrato *serpentariae et florum arnicae* infuso cum *liquore cornu cervi succinato et tinctura valerianae aetherea*, imposito cervici et utrique surae vesicatorio amplo, applicitoque pro re nata clysmate acriori, si veterno oppressus jacere continuet aegrotus, in guttis ex *spiritu volatili oleoso* vel *oleo animali Dippelii naphtâ vitrioli soluto*, hac desperatâ rerum sub positione spem nostram — vanam saepissime—reponere cogimur. Simulac vero expergefieri vel paullisper incipiat aeger, ne per minutum quidem cunctandum, sed fortissimis chinini sulphurici dosibus iisque intervallis quam brevissimis exhibitis id moliendum omni operâ est, ut insequens paroxysmus, et cum eo mors certissima avertatur. Cum vero, uti antea dictum fuit, ne vel in apyrexia sopor in integrum cesset, et haec prae ceteris affectio in idiopathicam cerebri passionem transire nitatur, erigenda quoque durante intermissione cerebri actio erit, continuatis sedulo iisdem, quibus durante paroxysmo usus fuit medicus, auxiliis nervinis potentissimis. In

magna, quae post morbum huncce aeque ac post febrem phreniticam per longum satis tempus remanere observatur, mentis hebetudine rerumque oblivione, specierum aromaticarum spiritu vini irroratarum, vel et *aquae Anhaltinae Pharmacopoeae Hannoveranae* (1) usum externum satis diu continuatum proficuum maxime observavi. Amaurosi superstiti electricitas potissimum convenire videtur.

Alia longe, neque tamen minus complicata est ratio illius febris, quam *phreniticam* ob symptomata cerebri inflammationem referentia nominavimus, et nullibi sane major oboritur, quam jam supra innuimus, indicationis difficultas, sive nunc summum organi principaliter affecti in oeconomia animali momentum,

---

(1) *Radicis galangae min.*
*Herb. roris marin. aa. ℥vj.*
*Semin. foeniculi.*
*Baccarum lauri aa. unc. β.*
*Caryophyll. aromat.*
*Cubebarum.*
*Nucum Moschatar.*
*Cinnamomi.*
*Masticbes aa. ℥vj.*
*Olibani unc. j*
*Terebinthinae Venet. unc. vj.*
*scissa et contusa infunde cum*
*Spirit. vini rectif. Libr. vj.*
*Aquae fontan. Libr. j.*
*Destillent lenissimo calore Libr. v.*

sive hujus ipsius affectionis naturam, febris epidemicae characteri e diametro oppositam consideraveris. Quicquid vero sit, ratio aeque ac experientia, caute admodum hîc esse mercandum cum remediis directe antiphlogisticis, debilitantibus, morbo principali infestis, jubet, viribusque vel in casibus summam inflammationis speciem prae se ferentibus parcendum quammaxime esse, praecipit; cum inflammationem cerebri, etsi idiopathicam, veram tamen et protopathicam, sthenicam, subnasci nunquam hîc posse, satis intelligatur. Accedit, quod uti antea monitum fuit, narium haemorrhagia huic speciei superveniens critica fuisse nunquam observata fuerit, quod et de hirudinibus, quos in Epidemiae initio timidus adhuc methodoque cautiori inhaerens, applicavi, ut et de mercurio dulci, dicendum est. Magna vero et hîc rursus laudanda venit vesicatoriorum cervici impositorum potentia, quae tanta quidem fuit, ut in nonnullis, levioribus utique, phreniticae casibus, vel sola paginam absolvisse videantur. Succedaneum priori, et laudabile non minus hoc in morbo auxilium habetur in *fomentationibus frigidis* vel Schmuckerianis, vel et ex sola aqua gelida, sale culinari et aceto paratis, capiti et fronti impositis, renovandisque, simulac spleniola incalescant. Quae vero conveniunt remedia interna, cum

eadem prorsus, ac in praecedentibus monui; eligi debeant, ex infusis nimirum serpentariae et arnicae, additis pro re nata pediluviis tepidis, suppedaneis attrahentibus et clysmate emolliente, subjuncto dein, uti jam saepius dictum fuit, chinino sulphurico: — hisce ulterius explicandis supersedere posse credimus.

## CAPUT XIII.

### *Cura febris paludosae syncopticae, eclampticae et aphonicae.*

Pauca sunt, quae de tribus hisce morbi nostri speciebus, rarioribus utique, monenda habeam, cum, quaecunque ad earundem curam attinent, ex praecedentibus pro parte saltem intelligantur. *Syncopsis* nimirum cum id cum apoplexia commune habeat, quod summa in utrisque adsit principii vitalis oppressio, patet, eandem quoque ac in febre apoplectica, in hac syncoptica esse remediorum rationem, quae durante accessione ex excitantium nervinorum antea laudatorum classe maxime petenda sunt, junctis praecipue errhinis fortioribus ex liquore ammonii caustico vel et aceto concentrato paratis. Casus interim duos *febris paludosae eclampticae* maxime notabiles memorare liceat, in quorum uno, desperato

jamjam viso, *centum* jam et quod excurrebat *insultus epilepticos eosque gravissimos* superaverat aeger, antequam in auxilium medici, de morbi naturâ incerti, accersitus essem. Mortem jam in propinquo esse, cum facile viderem, pulveres statim propinavi summe antispasticos (1) solutisque sic feliciter convulsionibus horrendis plane, chininum nostrum sulphuricum exhibui, eo quidem cum effectu, ut praeter adstantium ipsiusque medici expectationem ex orci faucibus aegrotum eripere contigerit.

## CAPUT XIV.

### *Cura febris paludosae protractae.*

Eandem proprie esse *febris paludosae protractae et typhodis* rationem, ac ceterarum quas hucusque recensuimus, specierum, jam supra notavimus, diximusque, primam, si ab initio hancce formam induerit, a leniori utique proficisci miasmatis actione, quae turbis universalibus excitandis impar, febriculam tantum accendat, interdum vero ad solos plexus

(1) ℞ *Moschi Tunquinens. gr. iv.*
*Flor. Zinci gr. j.*
*Sacchari alb. scrup. β.*
*M. capiat omni hora talem pulverem.*

abdominales quasi relabatur, testantibus, quae constanter illam circumdare observantur, anorexia, dyspepsia, tympanitide ipsoque vomitu. Eadem quoque morbi ratio est, si a cholerica ejusdem specie profecta, et tractu temporis crisibusque imperfectis male iudicata aegritudo, in lentam hancce affectionem excurrat. Hinc itaque facile colligitur, a debita solummodo et consummata miasmatis per crisin perfectam expulsione salutem expectari posse, quod quidem per illa, quae antea laudavimus, remedia excitantia, imprimis vero per serpentariae Virginianae infusum satis concentratum cum liquore anodyno impetrari optime poterit. Quae vero morbi nostri species cum in viam tertianariam rarissimè reverti soleat, neque chinino sulphurico militandum hîc est, sed decocto Corticis Peruviani regii concentrato cum tinctura aromatica et liquore anodyno minerali, fractis jamjam viribus egregie succurritur. Si, quod frequenter satis vidimus, praeter aliam molestiam, ciborum fastidium cum nausea et flatulentia continuentur, praeferenda Cortici sunt acria medicamenta, amaris juncta, ipsumque imprimis *capsicum annuum*, cujus quidem virtus in domando vomitu qui febri flavae accidit, jam dudum innotuit, dum singularis ejusdem in praecavendis febrium recidivis potentia in hac nostra Epidemia vel

ipsi, cui nimis facile adsuescunt aegrotantes, Cortici Peruviano, palmam praeripere visa sit (1). Eodem prorsus, ac vix monuimus, modo procedendum erit, ubi morbus, acutiorem servans decursum, in continuam nervosam mutatur, ea tantum cum cautela, quod, simulac levissima intrare videatur febris remissio, ad chininum sulphuricum confugiendum illico sit.

Absolutis nunc, quae ad specierum omnium curationem pertinent, mentionem injicere liceat memorati jam pluries *hydropis anasarcae*, qui cum abdominis pneumatosi lienisque tumore plerumque incedens, omnes febrium hucusque pertractarum species, praesertim vero *protractam* illam, comitari et supervivere saepissime observatur. — Et quidem egregie

---

(1) Sequens plerumque praescripsi acrium cum amaris connubium:

*Radicis gentian. rubr. unc. j.*
— *zedoariae.*
— *galang.*
— *Zingiberis aa. ℨj.*
*Corticis cinnamom. ℨiij.*
*Sem. cardamom. min. ℨiß.*
— *capsici ann. scrup. ij.*
*c. c. m. diger. cum spirit. vini Gallic. unc. Xij per tria nycthaemera, ut capiat quater de die guttas XXX ex vino generoso.*

sane falluntur, qui consuetis ceterum remediis resolventibus et diureticis, mercurio dulci vel herba digitalis purpureae tumorem hunc et hydropem debellare student, qui perperam quoque Corticis Peruviani usui a plebe adscribitur, dum e contra vel *ipsi miasmati paludoso in corpore retento*, sed fracto jamjam et plexibus abdominalibus incumbenti certo certius debeatur. Certissimum vero, et quod lienis obstructionem simul cum hydrope tutissime dispellat, remedium habetur vel in illa, quam antea laudavimus, acrium remediorum formula, vel et in ipsius Corticis cum acribus connubio, quale prostat in *tinctura chinae composita Huxhami Pharmacopoeae Hannoveranae* (1) subjuncta eximio cum fructu *refracta vini ipecacuanhae dosi*, cujus quidem remedii, acribus certe adnumerandi, virtutes ad dispellendum *hydropem vagum*, i. e. qui a principio subtiliori nervis incumbente oritur, laudat celeberrimus

---

(1) ℞. *Cortic. chin. fuscae grosso modo pulverisat. unc. ij.*
*Flaved. cort. aurant. unc. iß*
*Radicis serpentar.* ʒiij.
*Coccionell. scrup. ij.*
*Croci scrup. iv.*
*Spir. vini rectific. unc. XX.*
*Diger. et filtr.*

Jahn (1). Adducere hîc liceat formulam a collega amicissimo acceptam, huic scopo apprime conveniente, et nisi simul ascites adsit, fere specificam (2).

Atque hîc loci, non prorsus rejiciendum visum fore doctis, quem imperfectum nimis esse, bene novi, laborem, sperantes, et permulta quae dicenda restant, doctiori calamo relinquentes, finem operi imponimus.

---

(1) *Practische Materia medica. Vol. I. pag. 767.*

(2) ℞. *Vini ipecacuanh.* ʒiβ.
*Tinct. chin. compos. Huxh.* ʒvj.
*M. capiat quater de die guttas XL — LX ex vino.*

# COMMENTATIO
DE
# PHLEGMASIA
## ALBA DOLENTE

QUINDECIM
OBSERVATIONES PRACTICAS
CONTINENS.

AUCTORE

D.^is^ LUDOVICO AUGUSTO STRUVE

*A Cons. Aul. Russ. Therap. et Clin. P. P. O.*
*Reg. Societ. Med. Hauniensis Socio.*

# PROOEMIUM.

*Cum ante hos fere septem annos celeberrimus* Albers*, praematura, eheu! nobis aeque ac litteris morte ereptus, sibi proposuisset, omnia ad phlegmasiam albam dolentem spectantia colligere, et, his pro viribus suis eximiis perpensis, cumque iis, quae experientia ipsum edocuisset, rite comparatis, nobis pollicitus esset monographiam de hoc morbo rariore certe exquisitam; perlegimus nos etiam ea, quae ad omnes Germaniae medicos scripsit,* (1) *rogans, ut omnes ac singulae de hac affectione observationes secum communicarentur, et huic voto obsequium praestare pro officio habuimus. Sed mirum iam tum nobis fuit, illum in exercitatione artis nostrae salutaris, viginti annos superante, non saepius quinquies hunc morbum observasse* (2)*, cum nobismet ipsis in parvo triennii spatio facultas esset data huius affectionis quater observandae. Quo factum est, ut dubium nobis videretur, num ea, quae observare nobis contigerat, vera huius phlegmasiae exempla exhiberent, nec ne? Sed omnia*

*symptomata et decursum morbi iterum iterumque perscrutati, non amplius de vera indole morbi a nobis observati dubitare potuimus, et pro fortuito fati favore habuimus, quod hic crebrius nobis, quam illi viro celebrato occurrisset. Postea vero experientia nos docuit, non casu fortuito, sed ob locales, endemicas fortasse in regione, qua medici munere fungebamur, causas, frequentius nobis hujus mali imaginem sese obtulisse.*

(1) Die Nachschrift zu Phlegmasia dolens puerperarum von J. L. Westberg, übers. von Dr. L. Hampe, mit einer Nachschrift von Dr. J. A. Albers. Seite 17. in Hufeland's Journ. d. pr. Arzneik. XLIV. Bd. Febr. 1817.

(2) Albers. l. c. pag. 13.

*Ceterum ut votis celeberrimi Albers et nostris officiis satisfaceremus, non amplius haesitavimus, nostras phlegmasiae albae dolentis observationes paucis adumbrare, et has manibus huius medici, vere Hippocratici, commissas, ipsius subiicere iudicio. Quibus peractis frustra per quatuor annos promissam exspectavimus monographiam, cum nuncius nos perterreret, virum illum eximium nobis esse morte ereptum* (1), *et vanam redderet spem. Jam missis litteris ad Doctorem medicinae van den* Busch, *virum inter medicos Bremenses celebratum, clarissimique Albers amicum, in quibus*

*rogabamus ab illo, ut si forte inter scripta viri immortalis invenirentur nostrae de phlegmasia hacce observationes, eae nobis remitterentur: respondit nobis eiusdem civitatis medicus alter, G.* Barkhausen, *med. Doct., « iam pridem sibi » ab Albers ipso meas traditas esse observatio- » nes, praeter quas ne verbum quidem esse inter » scripta viri, nobis amici, ad hunc morbum » spectans (2), et sibi esse in animo omnia de » hoc morbo, licet a se vix umquam observa- » to (3), sparsim conscripta colligere, et deinde, » scriptis praecipue Anglorum et Americano- » rum medicorum cum studio collatis, edere » librum sub titulo:* Materialien zu ferneren » Untersuchungen über die Phlegmasia alba » dolens. » *Quam ob rem petiit a me, ut sibi liceret, meas etiam divulgare observationes, una cum animadversionibus a nobis additis. Quanquam vero lubenter illi morem gessimus et nostras concessimus observationes divulgandas, exoptavimus tamen, ut nobis remitteret nostram commentatiunculam, antea in suos usus descriptam. Paulo vero post accepimus pauca illa de hac affectione a nobis disputata, quod nobis eo magis gratum fuit, cum videremus, nos pronuntiasse in annotatione observationibus adiuncta sententiam de phlegmasiae albae dolentis natura atque indole nostris, iam tum factis, observationibus non prorsus*

*respondentem, et iam a nobis, largiore experientia uberius edoctis, omnino non probandam, sed plane reiiciendam.*

(1) Obiit vir celeberrimus, qui nostrae arti ornamento fuit, die XXIV. mensis Martii anni MDCCCXXI.; cf. Med. chir. Zeitung Jahrge. 1821, 2ter Bd. p. 110.

(2) Hoc eo magis nobis mirum esse debuit, cum Albers ipse loc. cit. pag. 13. dixisset: « Ich werde bey mehrerer Muße » meine schon lange angefangene Monographie hierüber » zu beendigen suchen. »

(3) In litteris ad nos conscriptis his verbis usus est G. Barkhausen, « Ich selbst kenne die Krankheit aus eigner Erfahr» rung so gut, wie gar nicht, » attamen maxime nobis in votis est, ut mox suam de hac materia collectionem nobiscum communicare studeat.

*Nemo certe est, qui nesciat, celeberrimum Albers contendisse, phlegmasiae huic subesse naturam morbi nervosi, quod argumentis, refutatu difficilibus probare conatus est* (1). *Nos vero auctoritate huius viri perculsi non ausi sumus eo tempore, quo nostras ad eum mittebamus observationes, periculum facere huius sententiae impugnandae, quamvis natura mali inflammatoria iam tum nos non penitus lateret. Quo factum est, ut nos in animadversionibus, iam saepius memoratis, eandem sententiam, quam celeberrimus Albers, stabilire studeremus, quod eo facilius fieri potuit, cum symptomata systematis nervosi affecti neutiquam desint. Interim in lucem prodiit, praeter singulas, quae in ephemeridibus medicis sparsim exstant, huius*

*morbi historias, commentarius de Phlegmasia alba dolente a Joanne Lodovico Casper, viro peritissimo, conscriptus, (2) et dissertatio, annotationes quasdam in Phlegmasiam albam dolentem exhibens (3). Praeterea exstat huius mali descriptio in plurimis de morbis mulierum compendiis, hoc temporis spatio editis (4). Omnes vero hae phlegmasiae albae observationes et descriptiones ac largiores de hac materia commentationes uberiore carent experientia, cum fere omnes singula modo huius mali exempla exhibeant, quo factum est, ut copiosior monographia adhuc in votis sit. Enim vero cum liber, quem mox edendum nobis promisit G. Barkhausen, med. Doctor, propriis non innitatur observationibus, et cum ceteri, qui iam in lucem prodiere, tractatus hanc materiem nullo modo exhauriant, quamvis ad meliorem huius mali cognitionem multum contulerint, denique cum nobis contigerit, esse tam felices, ut quindecim huius morbi rarioris exempla tum observaremus tum pertractaremus, a nobis non alienum fore putavimus, ut monographiae conscribendae in nos susciperemus munus. Cum vero nos aliud occupet opus litterarium, uberior morborum cutaneorum expositio, in qua morbos cutaneos tum nosologice tum therapeutice pertractabimus, et eos per figuras aeri incisas depingere studebimus, hunc*

*laborem in nos conferre non ausi sumus. Non inutile tamen fore negotium censuimus, divulgare observationes de hoc morbo nobis proprias, et ea, quae ex iis ad meliorem hujus mali cognitionem desumi possunt. Quare hanc commentationem cum Lectoribus communicare properamus, quod proposito nostro eo magis sufficiet, cum G. Barkhausen, med. Doctor, promiserit, se omnia collecturum esse, quae sparsim sunt conscripta. Spero igitur me his pagellis officio, ne intereant ea, quae a nobis sunt observata, satisfecisse. Tum mos postulat, ut elaboretur scriptum pro munere professoris suscipiendo, quod, iam susceptum, nobis contigit in Universitate Caesarea Dorpatensi, in qua vices professoris therapiae et clinices publici ordinarii in nos collatae sunt; quem morem simul hac scriptiuncula explere cupivimus. Denique accedit ad haec, ut nobis cordi sit, hoc libello probare, quaenam nostra sit de huius morbi natura atque indole sententia, cum fieri possit, ut, nobis quidem invitis, sententia a nobis non satis perpensa, et auctoritate celeberrimi Albers falsa veritatis specie induta, in libro a G. Barkhausen mox edendo in lucem veniat. Vestram igitur, Lectores benevoli, rogo veniam, si opus, non quantum fieri potest perfectum, sed leviter modo exaratum, vobiscum communicaverim.*

(1) Conferatur locus citatus in Hufeland. Journal. pag. 165., ubi sic suam expressit opinionem, „Ich halte aber diese „Meinung " (quod natura mali sit inflammatoria) „ durch- „aus für irrig, und glaube sowohl aus dem Verlaufe der „Krankheit, als auch aus dem Nutzen der von mir ange- „wandten Heilung überzeugt seyn zu dürfen, dass die „zuerst leidenden Theile die Nerven des Schenkels sind, „deren krankhafte Affection (die aber nicht, wie Hull „glaubt, in einer Entzündung besteht) die Schmerzen „hervorbringt, und dass die Geschwulst des Zellengewebes „nur als Folge dieses Nervenleidens angesehen werden „dürfe. "

(2) Lipsiae MDCCCXIX.

(3) Halae MDCCCXX.

(4) Carl Gustav Carus Lehrbuch der Gynäkologie. Leipzig 1820. 2ter Th. P. 566. und andere.

# INTRODUCTIO.

Morbus rarior, (1) quem in hac commentatione paucis tantum pertractabo, non ita pridem mox nomine Phlegmasiae mox Phlegmatiae albae dolentis appellatus (2), ante seculum, et quod excurrit, primum descriptus est a celeberrimo Francogallorum chirurgo, Fr. Mauriceau sub nomine *L'enflure des iambes et des cuisses de la femme accouchée* (3). Quamvis igitur ante annum MDCCXIIX nusquam reperiamus accuratam descriptionem, imo ne levem quidem adumbrationem hujus morbi, tamen non est existimandum, eum antea non exstitisse; quod hîc fusius probare, superfluum esse duximus, sed potius crediderim, hanc affectionem cum similibus, praecipue cum oedemate pedum et cum doloribus rheumaticis esse perturbatam. Ex quo tempore saepius illum pertractatum invenimus, et quidem sub diversissimis nominibus, ut sub Oedematis vel lactei vel puerperarum, sub Ischiadis a sparganosi (4) ortae, sub Scelalgiae puerperarum,

qui morbus vernaculo sermone a Francogallis Depôt laiteux, Infiltration laiteuse, Enflure des jambes laiteuses etc., ab Anglis White legs, Swelled legs, the Swelling of the lower extremities etc., et a Germanis Weisse Schenkelgeschwulst oder Schenkelschmerz der Wöchnerinnen vocabatur, donec illi primum nostro saeculo nomen Phlegmasiae albae dolentis tribueretur. Est vero haec nostra phlegmasia, statim delineanda, morbus sui generis, qui nec speciem, nec varietatem alteri exhibet et signis sibi propriis, pathognomicis dicendis, a ceteris separari facile potest. Enim vero cum mihi contigerit esse tam felici, ut in spatio decennii fere, ab anno MDCCCXV ad annum MDCCCXXIII usque, quindecim huius phlegmasiae, quam antea numquam conspexeram, exempla αὐτόπτης observarem et pertractarem (5), liceat mihi iam ex propriis solum observationibus adumbrare huius morbi imaginem et delineare eiusdem decursum, quo facto addam nonnulla de aetiologia et prognosi huius affectionis, quibus adiungam denique tum regulas therapeuticas, quas in pertractando hoc malo secuti sumus, tum exempla nonnulla huius phlegmasiae uberius exposita.

(1) Quam raro hic morbus observatus sit, eo etiam probatur, quod plures sunt medici, qui eum, in longa artis nostrae exercitatione, numquam viderunt; sic eum numquam se

observasse confessus est celeberrimus Jorg, Handbuh der Krankheiten des Weibes. Leipzig. 1821. S. 896.

(2) Utraque scribendi ratio defendi potest, et altera alteri certe est praeferenda, prout scriptores aut inflammationem aut dispositionem phlegmaticam pro causa huius mali agnoscunt. Celeberrimus Albers, ni fallimur, (nam locum, quo haec contendit, reperire non potui) cum ardore phlegmatiam scribendi modum defendit, et alterum, ut falsum, prorsus reiecit, et suo iure quidem, cum naturam phlogisticam huius mali omnino negavisset, nam φλεγματίαι sunt affectiones morbosae cum pituitae albae redundantia, vel leucophlegmaticae (cf. Foësii Oeconomia Hipp. pag. 660. Francof. MDLXXXVIII.), quamvis saepius λευκοφλεγματίαι dicantur; quique omnino naturam huius mali inflammatoriam negant et nervosam contendunt, tumorem leucophlegmaticum, qui solius nervorum affectionis sit symptoma, adesse perhibent, quare etiam hunc morbum *phlegmatiam* nominaverunt. Qui contra medicorum affirmant, huic morbo subesse indolem inflammatoriam, quod iam plurimi, imo omnes, contenderint, utique *phlegmasiam* scribere debent, nam φλεγμασία saepius in scriptis veterum medicorum Graecorum notionem inflammationis, ut alibi φλεγμονή et φλέγμανσις, exprimit. Quem igitur scribendi modum et nos secuti sumus, etsi plerique, ut Casper, Westberg, et alii, alteram scribendi rationem, ab Albers probatam, secuti sunt.

(3) Traité des maladies des femmes grosses et de celles, qui sont accouchées. Par François Mauriceau, sept. Edit. Paris MDCCXL. Livre III. Chap. XX. pag. 446.

(4) Vel potius a spargosi ex meliorum Dioscoridis editionum lectione, nam σπαργανᾶν est involvere fasciis infantem, σπαργᾶν vero usurpatur de mammis lacte tumentibus.

(5) Plura huius mali exempla alii medico, quam nobis, occurrisse non invenimus, nam Charles White ipse, qui primus correctiorem descriptionem dedisse videtur, non amplius, quam quatuordecim huius phlegmasiae affert exempla, et quidem non omnia a se ipso observata. Celeberrimus vero Albers quinquies tantummodo ad annum MDCCCXVII usque observaverat hunc morbum, atque David Hosack, meritissimus inter Americae septentrionalis medicos in

exercitatione artis medicae triginta annos superante, non amplius, quam novem fecit ejusdem mali observationes. Attamen a veritate mihi abhorrere non videtur, celeberrimum Francogallorum chirurgum, M. Puzos, qui in medio seculi praeteriti tractatum de arte obstetricia conscripsit, saepius, quam ceteros omnes medicos, quibus postea haec affectio in conspectum venit, illam observasse, nam postquam decem huius mali exempla sub nomine metastasis lactis (Depôt laiteux) narravit, commentationem de hac re hisce concludit verbis: « il me seroit aisé d'en ajoûter un grand » nombre d'autres, dans lesquels j'ai employè ou vû em» ployer la même methode, avec un egal succès, si je pré» voyois, qu'il pût rester la moindre doûte à cet egard.» Puzos traité des Accouchemens. Paris MDCCLIX. Memoire sur les depôts laiteux pag. 366. Vulgata tamen est opinio, scriptoribus ante Carolum White parum tantum notum fuisse nostrum morbum, quamvis ne White quidem ipse neget, satis accuratam habuisse celeberrimum Puzos huius mali cognitionem, et ego addiderim, num White an Puzos profundius perspexerit morbi nostri naturam, adhuc dubium esse.

## *Symptomata et decursus Phlegmasiae albae dolentis.*

Morbus, qui nunc nomine phlegmasiae albae dolentis (1) salutatur, plerumque puerperas adoritur, quamvis rarius etiam feminas, quae nuper non peperere, et virgines, imo denique viros aggreditur. Inter quindecim a nobis pertractata huius phlegmasiae exempla, novies nostrae observationis materiem praebuere feminae in puerperio, semel femina, quae nuper abortum trimestrem fecerat, porro semel mulier, quae ante quindecim menses secundo matrimonii pignore partu erat liberata, semel denique femina, quae ex longo tempore neque pepererat, neque abortum ediderat; decimae tertiae observationis argumentum praebuit virgo (2), sedecim annos nata, cui menses subito erant suppressi, ac decimae quartae et quintae vir, prope sexagenarius, et senex, paene octogenarius, uterque maxime obesus.

(1) A nonnullis nominatur hic morbus phlegmasia alba dolens puerperarum, omisimus vero nos hoc epitheton, ut iam antea fecit celeberrimus Carus, quia non solum in puerperis observatur haec affectio.

(2) Aliud exemplum, in quo hic morbus in virgine obviam factus est, non reperire potui, et meum igitur hucusque unicum esse opinor.

Signum huius morbi perspicuum, a plerisque pathognomicum dictum, et quod facillimo negotio cerni potest, est tumor, sub doloribus vehementissimis celeriter oriens, et ipse admodum dolens, durus, tensus, elasticus, splendens, albidus et calidus, qui plerumque quidem unam alteramve extremitatem inferiorem corripit, sed haud raro etiam in ambabus extremitatibus inferioribus, in hypochondriis, in lumbis, in infimo ventre, in glutaeis, in labiis pudendorum et in regione inguinali animadvertitur, rarissime vero etiam in superioribus corporis partibus et praesertim in brachiis deprehenditur. (1)

(1) Conferatur Westberg in Hufelands Journal. 1817. Febr. pag. 4.

Plures post partum dies (1), interdum inter tertium et octavum diem, sed ocius et serius etiam, puerpera corripitur febre fortiore, semper fere typum continuae remittentis servante, nam semel tantum observavi malum cum febre intermittente quartana incipere, quae

tamen per tertianae unicum paroxysmum in continuam remittentem abibat. Febris, cum incipit, rarissime et per breve modo temporis spatium naturam inflammatoriam induens, vel statim vel paulo post initium gastricae prae se fert speciem, facile in gastrico-nervosam abitura. Post frigoris accessum, magis minusve conspicuum (2), nec facile revertentem (3), succedit calor siccus et fortior, cui, si longius persistunt motus febriles, non raro superveniunt sudores madentes et colliquativi, naturam febris nervosam sat superque indicantes. Pulsuum ictus in quaque sexagesima horae minuta parte numeravimus nonaginta ad centum et viginti et plures (4); pulsus, initio febris interdum plenus et duriusculus, postea fit celerior et parvus aut contractus aut mollis. Capitis affectiones, nisi dolorem capitis gravativum et deliria leniora, cum febris vehementius incederet, non observavi, neque pectoris viscera haecce febris adoriri videtur, quamquam spasticam tussiculam, e causa gastrica plerumque per consensum orientem, saepius animadverti, ut etiam difficultas spirandi, anxietates, adeoque animi deliquia non semper a nostro absunt morbo. Sin vero antea iam femina laboraverit malo pulmonum chronico, tum etiam febris naturam sibi vindicat hecticam, tussi fortiore et dyspnoea simul comitata, quod

semel in femina, nec puerpera nec amplius lactante, observavimus.

(1) Secundum White exoritur iam inter diem duodecimum et decimum quintum tumor, antecedente febre, quem tumorem semel iam die primo post partum et semel post quintam hebdomadem exoriri observavit. loc. cit. pag. 9.

(2) Rarissime incipit febris cum horripilatione, aut cum frigore, ait White (loc. cit. pag. 9. conf. Casper loc. cit. pag. 11.), sed credo, semper hanc febrem cum frigore incipere, qui tamen frigoris accessus saepius non animadvertitur, cum haud raro plures febris insultus tumorem antecedant, quorum primus solum cum frigore incipit.

(3) Sin vero in decursu morbi phlegmasia ambas deinceps corripit extremitates, tum plerumque aggreditur tumor alteram extremitatem sub febre denuo recrudescente et haud raro cum frigore incipiente.

(4) Numeravit adeo centum et quinquaginta pulsuum ictus Meissner in illo phlegmasiae albae dolentis exemplo, quod in Siebolds Journal für Geburtshülfe IV. Bd. Istes Heft. pag 76. narravit.

Signa autem status gastrici magis sese exhibent, nam tensiones et dolores persentiuntur in regione hypogastrica; lingua est sordida, plerumque flavo obtecta muco, appetentia ciborum valde deminuta apparet, et adsunt sapor amarus, flatulentia cum repetita ructuum expulsione (1), nausea, rarius vomituritio et vomitus, ac dolores colici, per totum ventrem qui sentiuntur, (2) una cum alvi obstipatione fortiore, (3) interdum satis pertinaci, et quae non facile vinci potest, quod, nisi etiam in aliis morbis, longe ab hoc diversis, locum habere posset, inter prima insequentis

phlegmasiae albae dolentis signa pathognomica haberemus, cum in omnibus exemplis, a nobis observatis ne semel quidem abfuerit, et quod a ceteris de hoc morbo scriptoribus saepius observatum est, et, si ad hanc rem magis respexissent, fortasse semper esset animadversum. Interdum tamen hoc malo laborantibus, sed rarissime, supervenit diarrhoea, antecedente vero semper obstipatione alvi, et haec effectus vel naturae medicatricis vel virium magis iam exhaustarum esse mihi videtur. Conqueruntur iam nunc saepius aegrae de doloribus, vel vagis, vel fixis, quos sentiunt tum in regione curvaturae sigmoideae coli descendentis, tum in regione lumbari sinistra, rarius dextra, tum denique in osse sacro et interioribus pelvis partibus, qui sub tactu fortiore augentur. (4) Lactis secretio et lochiorum fluxus vario modo sub exortu et decursu huius morbi sese habent, interdum hae functiones nullo modo perturbantur, saepius tum lactis tum lochiorum secretionem deminutam animadvertimus, numquam vero utramque penitus sublatam deprehendimus. (5)

(1) Conf. Meissner loc. cit. pag. 82.

(2) In secunda morbi historia, quam Casper nobiscum communicavit, antecedebant dolores in toto ventre et praecipue in latere eiusdem dextro exortum dolorum et tumoris in extremitate inferiore, qui ita exasperabantur, ut aequarentur doloribus in febre puerperali. loc. cit. pag. 55. et 56.

(3) Alvi tardae mentionem faciunt ad unum fere omnes, sic Casper loco citato pag. 53. et 54., ubi ne clysmata quidem alvum solvebant, sic etiam Meissner loco citato pag. 77. et 85., qui alvum omnino strictam esse contendit, ita ut aegrota deiectionibus careat. Attamen alvi frequentiores deiectiones observavit Casper, loco citato pag. 66., ubi vero conditio morbosa, cholerae non absimilis, aderat.

(4) Jam Fr. Mauriceau testatus est, «que ces enflures soient » accompagnées de fiévre avec difficulté de respirer et de » grande tension et douleur de ventre» et postea purgationes laudavit. loc. cit. pag. 446.

(5) Quod cum observationibus celeberrimi White, Casper et aliorum congruit.

Febris, hisce symptomatibus stipata, vel paroxysmum unum tantum exhibet, vel plures facit insultus, vel denique rarius per hebdomades perdurat, antequam symptomata phlegmasiae albae dolentis localia prorumpunt (1). Saepius vero accidit, ut symptomata huius mali localia post primum aut secundum febris remittentis paroxysmum in lucem prodeant, et ita quidem, ut, quod iam memoravimus, aegrotantes conquerantur de doloribus, vel totum ventrem occupantibus, tum colicis, tum rheumatismo non absimilibus, vel in regione curvaturae sigmoideae coli descendentis fixis, vel denique per pelvim et os sacrum lancinantibus (2), una cum maiore et pertinaciore alvi obstructione. Sin contra serius, post repetitos febris accessus affectio huius mali localis erumpit, tum semper tamen fortior febris paroxysmus antecedit eruptionem localem.

(1) Febris infestat aegrotantes secundum White per duas vel tres, interdum per sex ad octo hebdomades, loc. cit. pag. 9., et eadem contendit Casper, qui addidit, eam tunc facile febris hecticae speciem referre, loc cit. pag. 11. Nos vero observavimus utique hunc morbum febre nervosa, imo nervosa lenta incedentem, sed si febris verae hecticae symptomata aderant, tum vel aegra iam prius laboraverat phthisi pulmonali, vel etiam febris, cui serius symptomata huius phlegmasiae accedebant, ex aliis causis, ut sunt haemorrhagia uteri et similia, originem suam trahebat, quod semel observare nobis contigit. Sic etiam febris paralytica, rarissime quidem, observata est, ubi vires omnino exhaustae, spiritus et excrementa putrida, pulsus celerrimus, filiformis, lingua arida, subsultus etc. inveniebantur. Conf. Casper loc. cit. pag. 12., ex Sachtleben in Stark's Archiv 1789. II. 2. pag. 47. Si quis forte cupiverit, diversum intueri ordinem, quo febris in aegrotantibus, a nobis pertractatis, incesserit, et quo symptomata localia posthac sese obtulerint, hunc lubenter ablegamus ad tabulam synopticam nostrarum observationum, quam huic commentationi in fine adiunximus.

(2) Quamvis Casper loc. cit. perhibuerit, ante dolorem in pube animadverti dolorem in medullae spinalis fine, nobis tamen visum est, dolores hos magis in internis pelvis partibus et ad latus internum ossis sacri sedem habere, quam in medulla spinali ipsa.

Plerumque nunc primus exoritur media nocte, antecedentibus vesperi fortioribus motibus febrilibus, dolor vehemens vel pungens, vel interdum per totum crus lancinans in una alterave regione inguinali, quo fit, ut extremitas lateris affecti ob vehementiam dolorum neque regi neque amplius moveri possit, licet nullus adhuc conspiciatur tumor. Rarius tamen evenit, ut prius iam doleat et intumescat labium pudendorum externum eiusdem

lateris (1), in quo postea crus intumescit, rarius utrumque labium (2), quod, lochiorum fluxu saepius deminuto et interdum suppresso, siccum et calidum reperitur. Hae vero partes, pudendorum labia, corripiuntur interdum, licet rarissime, inflammatione majore, quae aut in gangraenam superficialem abit, aut suppuratione circumscripta terminatur, ita ut, quod semel observavimus, integumenta labiorum et introitus vulvae gangraena destruantur, aut, quod bis a nobis observatum est, efformetur abscessus, qui nonnullos dies, inter dolores pungentes, magis magisque crescens, sponte sua rumpit, nec unquam verum pus, sed materiem lymphaticam puriformem effundit, et mox sine ullo fere artis adminiculo coalescit (3). Sic doloribus in regione inguinali, mox sinistra, mox dextra, numquam simul in utraque, obortis intumescit celeriter aut eadem nocte, aut die sequente rarissime serius, tota extremitas inferior eiusdem lateris una cum labio pudendorum, nisi hoc iam antea tumuerat, mirum in modum (4) ab inguine usque ad digitos pedis. Dolores eadem vehementia adhuc perdurant, nec facile ante diem quartum paululum remittunt, sed fortiores sentiuntur in ipsa regione inguinali, in poplite et in sura; quamvis lancinantes per totam saeviant extremitatem, morbo correptam. Tumor, simulac fit, plerumque

totum aggreditur membrum, ita ut saepius mane iam, cum media nocte exorti erant dolores, in toto suo sit amplificatum ambitu et valde auctum. Rarius evenit, ut principio aut solum femur et labium pudendorum intumescat, et postea, die sequente vel serius, anticrus et pes eodem corripiatur tumore, aut ut tumor occupet unice pedem, vel pedem et suram, ambitu totius membri omnino non aut paululum modo aucto, quamvis vehementissimi per totum membrum persentiantur dolores. Interdum denique evenit, ut dolor primum incipiat in poplite, sensim sese ad inguina et ad pedem extendens, quo facto, primum etiam intumescit regio poplitis et surae et posthac totum membrum.

(1) White perhibuit, aegram primum observare dolorem ad latus vulvae, loc. cit. pag. 9., sed postea adiecit, dolorem in fine spinae dorsi et in infimo ventre interdum antecedere dolorem in pudendis.

(2) Negat White, utrumque pudendorum labium simul intumescere, cum ait «diese Geschwulst ist auf die Schaamlefze derselben Seite so genau beschränkt, dass, wenn man eine Linie vom Nabel bis zum After zöge, die Geschwulst nie dieselbe überschreiten würde» l. c. 1802. pag. 19., sed iam Hull eum refutavit; conf. Kühn in Phys. med. Jour. III. Bd. p. 88. Leipzig 1802., et nosmet ipsi hunc tumorem semel in ambobus observavimus labiis, quamvis ceterum fatendum sit, hunc morbum fere semper unum modo corporis latus aggredi, quod et in aliis morbis observare licet, ut in Zostere, quam nos tamen etiam medium corporis transgredi interdum animadvertimus.

(3) In secunda morbi historia, quam ex annalibus clinici ambulatorii Halensis anno 1815. retulit Casper, efformavit sese abscessus in sura, qui puris meri uncias nonnullas effundebat, loc. cit. pag. 60.; sic etiam mecum communicavit collega mihi amicissimus, Doctor Meyr, dominii Binnebergensis et comitatus Ranzaviensis in Holsatia physicus regius, exemplum huius mali, in quo abscessus animadvertebatur in inguine, qui, ut opinatus est, ex frictione per contactum integumentorum ventris et femoris inter se originem traxerat. Denique inveni aliud exemplum memorabile, in quo suppuratio ita extendebatur, ut musculorum tendines destruerentur, quo factum est, ut aegra sine fulcrorum adminiculo ingredi non posset. cf. Malcolm in the American med. Recorder. Philadelphia Vol. I. Octobre, Med. Chir. Zeitung 1820. 4. Bd. pag. 209.

(4) White iam contenderat, membrum affectum bis sano crassius fieri, loc. cit. pag. 9.; idem asserit Casper loc. cit. p. 63., imo ter crassius membrum se observasse contendit loc. cit. pag. 66., et primo intuitu, rem ita se habere, utique apparet; si vero commensus fueris utrumque membrum, elucebit, ut opinaverim, ambitum membri tumentis ad summum sanum tertia tantum parte superare, quod etiam in exemplo a se observato affirmavit H. Bord in the Philadelphia Jour. of the med. and phys. Sciences by N. Chapman, Vol. II. Nro. II. Philadelphia 1821. cf. Med. Chir. Zeit. 1824. 3 Bd. p. 98., cuius reiveritatem nos in plurimis a nobis pertractatis exemplis comperimus, quod ex quarta historia, quam in fine hujus commentationis adiunximus, elucebit, in qua eximio modo crus malo affectum tumebat. Quod si cui a vero abhorrere videatur, suademus, ut periculum emetiendi faciat, ubi veritatem nostrae sententiae luce clariorem esse comperiet; nam numquam inveniet, cum femur sanum sub inguine octodecim pollices in ambitu emetitur, alterum femur, morbo correptum pollices triginta sex in eadem regione in ambitu habere.

Partes tumentes aucti caloris praebent sensum tum aegrotanti ipsi, tum medico illas contrectanti, sensibilitas earum maxime aucta

apparet, ita ut neque moveri neque tangi se sinant, et ne lenem quidem digitorum tactum perferre possint aegrotantes, quin clamorem edant (1). Tumor ipse, numquam oedematis speciem prae se ferens, cum sit durior et calidior hydropico, undique aequaliter expansus et tensus, digitorum impressiones minime retinens, nitet laevitate et colore suo, splendide albido, quamquam interdum etiam vidimus colorem utique albicantem, attamen rubro suffusum et quasi variegatum; a colore rubro inflammationis cutaneae quidem longe diversum, et magis cum orgasmo vel stasi sanguinis in vasis superficialibus cognatum, quod praecipue in sura et in partibus lecto incubantibus observari licet. Ambitus femoris mole valde amplificatus est, ita ut membrum phlegmasia correptum in circuitu crus sanum aut quadrante aut triente superet. Extenditur etiam hic tumor interdum, sed rarius, sursum ad latus ventris et ad dorsum usque ad hypocondria et ad vertebrarum dorsalium regionem, semper unam modo, vel dextram vel sinistram corporis partem occupans, nec umquam ad pectoris parietes ascendens (2), prout antea iam aut dextrum aut sinistrum corripuerat femur, aut postea corripiet.

(1) Sic annotavit Meissner, in sua aegrota dolores tam atroces fuisse, ut non conatus sit, digitis contrectare, num cutis sub digitorum pressione foveam relinqueret, nec ne. loc. cit. pag. 76.

(2) In iis solum exemplis rarissimis, in quibus superiores affectae sunt extremitates, unum vel alteram pectoris latus simul tumore correptum fuisse legimus, de quibus postea fusius disseram.

In regione inguinali, in poplite et in sura, ut iam antea memoravimus, praecipue dolores animadvertuntur vehementiores, quas si regiones diligentius perscrutatus fueris, invenies in inguine saepius stratum glandularum lymphaticarum superficiale distincte exauctum, ita ut vel singulas glandulas vel totum stratum tumidum, volumine amplificatum et sub tactu admodum dolens reperturus sis; quare recte indicabis, illud phlogosi esse correptum, quamvis cutis, has partes obtegens, non nisi rarissime rubeat, neque inflammata sit. Si vero profundius glandularum inguinalium stratum magis laborat, dolores quidem, etiam atrociores, in hac regione persentiuntur, quamvis hic praeter maiorem, quam in ceteris partibus, duritiem tumoris, nullam glandularum amplificationem tactu detegere possis, qui tamen glandularum auctus ambitus postea, inter tumoris universalis secessum optime tuberculorum vel funiculorum instar contrectari potest. In poplite contra et in sura, ubi glandulae

lymphaticae rariores inveniuntur, et profundiorem omnino habent sedem, explorabis rarius tactu glandulas inflammatas et ambitu exauctas, quamquam hîc etiam ob maiorem glandularum et vasorum lymphaticorum, ad eas decurrentium, multitudinem, vehementiores observantur dolores, in sura praeterea pressione partium, lectui incubantium, etiam auctos. Semel tantum deteximus, praeter glandulas superficiales in inguine tumentes, sub poplite in sura, ad latus exterius, acervum glandularum inflammatarum, ita ut ne unum quidem inflammationis abesset signum, cum simul cutis, has glandulas obtegens, ruberet et inflammatione erysipelatosa esset correpta (1). Qui vero diligentius symptomata perscrutatus fuerit, non negabit, dolorem, qui partes tumescentes occupat, sequi vasorum lymphaticorum decursum, et sentiri praecipue ab aegrotantibus descendentem ab inguine per latus internum femoris ad poplitem et ab hoc utrumque versus anticruris latus ad malleolos et articulationem pedis, pari modo, ut decurrunt majora vasa lymphatica, et deteget, si accuratius internum femoris latus ab inguine ad dimidium fere eius longitudinis digitis tetigerit, maiorem tumoris duritiem et vehementiores sub tactu dolores, ubi introrsum descendunt vasa maiora et sanguifera et lymphatica

et nervus cruralis, adeoque, quamvis rarissime, conspicietur funiculus tenuis, tumens et rubens, qui re vera nihil aliud est, quam vas lymphaticum, magis superficiale, inflammatum. Non quidem semel modo talem observavimus funiculum inflammatum in hac femoris regione, quem praeterea conspeximus apud puerperam, viginti sex annorum, in medio inter os ilium et costas spurias, tensum et inflammatum, ad lumbos decurrentem, ubi tumor, praeter extremitatem sinistram, idem latus ventris et eandem regionem lumbarem occupaverat, et in hoc funiculo, qui etiam sine dubio vas lymphaticum inflammatum exhibebat, cutis maculis rubris erat sparsa. (2)

(1) Eadem observaverunt White, loc. cit. pag. 10., Westberg, loc. cit. pag. 8. Malcolm, Med. Chir. Zeit. 1820. 4. Bd. pag. 209. et alii, adeoque Casper deprehendit in exemplo secundo, quod narravit, maculas rubras, pulicis ictui similes, circa genu et pedis articulationem, loc. cit. pag. 57., et in quarto, quod pagina 64. ex London med. and. phys. Jour. 1810 XXIII. pag. 303. retulit, annotavit rubedinem pone musculum tibialem anticum.

(2) Casper, qui naturam morbi inflammatoriam optime perspexit, et argumentis stabilibus demonstravit, contendit tamen, signa externa inflammationis omnino deesse, loc. cit. pag. 13., quamquam et ipse, ut modo annotavimus, horum signorum externorum mentionem fecit. Quamvis vero plerumque signa inflammationis conspicua, et quae oculis cerni possint, non adsint, nostris tamen observationibus demonstratum esse crediderim, haec signa non omnino abesse.

Plerumque iam, dum partes intumescere incipiunt, dolores, quamvis adhuc sint vehementissimi, paululum mitigantur, qui post dies duos ad quatuor, cum intumescentia partium affectarum maximum adepta est ambitum, magis etiam decrescunt, quo facto, dixeris fortasse, morbum transisse per acmen in stadium decrementi, quamquam interdum vehementiores dolores ultra hoc temporis spatium persistunt. Tumor vero, decrescente iam febre et mitigatis doloribus, quamvis digitorum, immo linteorum et lodicis, tactum aegre ferat, et sensibilitate in partibus affectis eximio modo adhuc exaucta, per plures dies, interdum quatuor, eadem magnitudine perstat, et tum una cum doloribus, magis magisque decrescentibus, evanescere coepit. Interdum vero longius temporis spatium, plures amplectens hebdomades, perdurat haec partium affectarum intumescentia, priusquam deminuitur (1). Ordo ceterum, in quo decrescit hic tumor, diversus observatur; saepius eodem ordine, quo exoriebatur, evanescit tumor, recedentibus prius doloribus atrocioribus, aut primum relinquit pedem, tum recedit ab anticrure atque poplite, denique a femore ac regione inguinali vel a quovis loco, quo extensus fuerat, dum dolores eodem ordine aufugiunt, quamvis nimia partium affectarum et praecipue regionis inguinalis et poplitis

sensibilitas longius etiam perdurasse animadvertitur; aut principio decrescere coeperunt dolores in poplite, una cum intumescentia partium vicinarum, ita ut pars superior femoris et inferior anticruris et pes adhuc valde tumeat, cum regio poplitis et partes vicinae, a tumore sensim liberatae, flaccidae, laxae ac tono privatae reperiantur, quod maxime deforme reddit membrum; et deinde evanescit dolor et durities in regione inguinali et ad latus femoris internum, ubi descendunt vasa maiora; quo facto, primum minuitur tumor in femore, denique in inferiore anticruris parte et pede, interdum paululum oedematoso. Rarius alia ratione hanc intumescentiam evanescere vidimus, nisi quod saepissime tumor in labio pudendorum iam antea recedit, dum adhuc in tota extremitate viget. Interdum, decrescente tumore, glandulae lymphaticae profundiores, quae antea ob magnitudinem intumescentiae digitis detegi non potuerant, perspicue sentiri et contrectari possunt. Postquam tumor penitus evanuit, restat plerumque per longum tempus aut nimia membri affecti sensibilitas una cum debilitate, aut maior debilitas, paralysi imperfectae non absimilis, si nervus cruralis simul erat correptus inflammatione hac lymphatica, quo fit, ut vis eius motrix simili fortasse ratione, quam in ischiade,

debilitetur, quare etiam mulieres, e morbo convalescentes, difficilius ingredi, vel adeo claudicantes per longum tempus, immo per totam vitam observavimus (2), quamquam etiam mihi haud raro contigit, esse tam felici in pertractando hoc malo, ut, debilitate aliqua excepta, nulla ingrediendi restaret difficultas. Saepius tamen evenit, ut, tumore ad minorem iam ambitum deminuto, restet chronica harum partium intumescentia, praecipue anticruris et pedis, quamvis non omnino oedematosa, tamen oedematis non prorsus expers, quod a natura morbi nullo modo abhorret, cum toni per partium extensionem defectus secretionem serosam foveat. Hic chronicus tumor aut post plures menses, remediis aptis adhibitis, tandem recedit, aut per annos vel semper perdurat, numquam penitus evanescens.

(1) Non desunt exempla, ubi dolores vehementiores et atroces longius perdurabant, quam ipse tumor, quamquam plerumque vehementia dolorum multo prius mitigatur, quam tumor decrescere incipit, rarissime vero, ut in exemplo, a Meissner nobiscum communicato, dolores et tumor per plures hebdomades eadem magnitudine persistebant.

(2) Mauriceau, primus de hoc morbo scriptor, iam annotavit » qu'il en peut rester à la femme une claudication dans » la suite, comme il est arrivé à une de mes tantes, qui, » quoiqu'elle fût trés bien faite, et fort droite auparavant, » est restée tout-à-fait boiteuse d'une jambe depuis trente » huit ans, par un semblable accident, en suite d'une de » ses couches. » loc. cit. pag. 446.

Quamquam plerumque hîc tumor unam tantum occupat extremitatem inferiorem, tamen non raro observavimus, alteram etiam corripi extremitatem. Quod si locum habebit, eveniet saepissime, postquam intumescentia in partibus antea correptis iam valde decrevit vel penitus fere recessit. Tum recrudescit febris, antecedente refrigeratione aut aliquo in diaeta et regimine peccato, aut sine ulla, quae delegi possit, causa, et post paroxysmum fortiorem febris oriuntur iidem dolores et idem tumor in altera extremitate, eundem facturi decursum (1). Si autem ad tempus respicimus, quando, exorto iam in una extremitate tumore, altera etiam intumuerit extremitas, ex huius mali exemplis in ambabus extremitatibus a nobis observatis apparet, hanc intumescentiam in altera extremitate bis post duodecim vel tredecim dies, semel post tres, semel denique post quatuor hebdomades exortam esse (2).

(1) Ambas affici hoc tumore extremitates, rarum esse contendit White; et adiecit, interdum crus sanum oedematose magis tumefactum postea reperiri, loc. cit. pag. 11. Eadem annotavit Casper, cum, «postquam symptomata haecce, inquit, quamvis leviora, per aliquot hebdomades duraverunt, extremitas altera sana interdum intumescit, quae autem intumescentia hydropicam plerumque sese prodit, nisi morbus iterum novum incipiat decursum. loc. cit. pag. 13. conf. pag. 58.» Si vero nostras cum hoc dicto comparamus observationes, utique contendere possumus, hunc tumorem, cum alteram postea adoriebatur extremitatem, numquam sese ostendisse oedematosum, sed contra illum

semper eundem habitum et eandem praebuisse naturam, quam in membro prius correpto, cuius rei observandae quater nobis oblata est occasio; neque umquam verum oedema exoriri vidimus, nisi cum tumor phlegmasiae in una vel in ambabus extremitatibus iam antea recessisset.

(2) In quarta morbi historia, quam White narravit, iam die tertio ambae extremitates erant tumefactae, loc. cit. pag. 19., sic etiam in illo morbi exemplo, quod Westberg nobiscum communicavit loc. cit. pag. 5.; sic denique iam die secundo in secunda aegrota, cuius Casper fecit mentionem loc. cit. pag. 53.

Nunquam deprehendimus symptomata huius phlegmasiae in ambabus extremitatibus inferioribus simul oborta, quod ne ab alio quidem scriptore observatum invenimus; neque umquam vidimus, symptomata haec in superiore corporis parte et in extremitatibus superioribus sese ostendere, cuius rei mentionem alii scriptores (1) fecerunt.

(1) Conferatur Callisen in syst. chir. hodiernae, Hafniae MDCCCXVII. pag. 22., et Casper loc. cit. pag. 58. Memoratu vero praecipue dignum est exemplum, quod Meissner loc. cit. pag. 82., in diariis Sieboldii narravit, in quo postquam phlegmasia alba dolens post tres menses tandem in extremitate inferiore sinistra debellata fuit, post quinque hebdomades ex conspicua refrigeratione totum alterum corporis latus adorta est, quod ipsis verbis auctoris attulisse, mihi liceat: «Die harte blendend weisse Geschwulst mit » bedeutend erhöhter Temperatur der Haut erstreckte sich » diesesmal über eine bey weitem grössere Oberfläche, als » das erstemal; denn sie nahm nicht allein die ganze re- » chte Schulter, Arm und Hand, sondern auch noch den » halben Rumpf und den ganzen rechten Fuss ein, und auf » diese Art war also die ganze Körperhälfte, mit Ausnahme » des Kopfes und Halses, von ihr ergriffen, ohne dass je- » doch auf der entgegengesetzten, zuerst leidenden Seite » nur das mindeste davon zu bemerken war.»

Hac ratione, quam modo exposuimus, decurrit plerumque haec phlegmasia in aegrotis, quae in puerperio cubant, et similem etiam habet decursum, cum vel mulieres extra puerperium, vel adeo viros aggreditur, ita ut nullum intersit in symptomatibus, praecipue localibus, discrimen, excepto illo, quod ex ipsa rei natura manat.

Morbum, modo descriptum, iure quidem, quamvis ab omnibus de eo scriptoribus contrarium contendatur (1), inter acuta esse referendum mala, censuerim, cum interdum intra spatium trium hebdomadum terminetur, quod saepius animadvertere mihi contigit, quamquam haud raro, vel adeo saepius, in statum chronicum abire videtur, et tum per menses, immo per annos vexat aegrotantes. Ceterum diversa ratione omnino terminatur haec phlegmasia, de qua etiam pluribus disseram in capite de prognosi.

(1) Morbum hunc chronicum esse, quod ad unum fere omnes contendunt, et quod Casper, qui veram mali indolem optime perspexit, etiam affirmat, cum, eum semper chronicum esse, nuncupet, loc. cit. pag. 14., neque naturae eius vere inflammatoriae congruit, neque decursui ejus, semper typum eundem observanti, respondet, et denique nostris refellitur observationibus, cum, exempli gratia, in aegrota quarta, cuius historiam huic libello adiunximus, omnia huius mali symptomata spatio unius mensis evanuerint, ita ut ne minor quidem membri affecti restaret intumescentia, dum vera et pathognomica eius signa iam intra duas hebdomades, a die vicesimo nono mensis Septembris ad diem

duodecimum mensis Octobris, iam evanuissent; sic in altero exemplo, quod inter morbi historias non retulimus, intra tres hebdomades aegram morbo hoc penitus liberatam reliquimus at.

## *Aetiologia.*

Cum in eo simus, ut indagemus morbi adhuc minus cogniti naturam vel causam proximam, optimum erit, primum omnes eruere causas, quae dicuntur a medicis remotae, vel praedisponentes vel occasionales, quo magis, his rite perspectis et aperto fonte, ex quo haec rarior humani corporis affectio manat, nobis succedat, ad intimos huius mali penetrare recessus.

Plerumque quidem observatur hic morbus in puerperis, et quidem tum in primiparis, tum in iis, quae iam saepius peperere, verum tamen neutiquam sine exceptione, cum etiam obviam fiat vel in graviditate, post abortum et in partu praematuro, vel apud feminas, quae ex longiore iam tempore partum nullum enixae sunt, et apud virgines, vel denique apud viros.

Pertractata est haec phlegmasia a nobismet ipsis novies in puerperio, bis apud mulieres, quae nuper non pepererant, semel in femina, quae abortum trimestrem fecerat, semel porro in virgine, post fluxum menstruorum repente

suppressum, denique bis in viris, quorum alter erat senex fere octogenarius, alter quinquaginta sex annos natus, uterque maxime obesus.

Omnes vero huius morbi observationes, nobis cognitas, perscrutati invenimus, ne quintum quidem quodque exemplum observatum esse, in quo aegrae non puerperae essent, quamvis hic morbus a nobis sexies inter quindecim exempla extra puerperium animadversus sit. Quod si rem ita se habere constat, concludendum est, efformari in ipso puerperio vel in antecedente graviditate et partu statum aliquem morbosum, qui huic malo ansam praebeat, et qui non facile exoriatur extra puerperium; sed simul fatendum est, cum hic morbus non solum in puerperis obviam fiat, in ipsa gravidarum et parturientium conditione inesse quidem sufficientem huius mali gignendi causam, quae tamen non unice a statu graviditatis, partus et puerperii pendeat. Quare nobis visum est, ad ea praecipue esse respiciendum, quae omnibus huius mali exemplis communia subesse videntur, et quae partim a statu, in quo feminae inde a graviditatis tempore versantur, pendent, partim vero etiam ex aliis causis oriri possunt.

Frequentissima igitur causa praedisponens est puerperium, ita ut negari nequeat, tum

antecedente statu graviditatis, tum ipso partu, tum denique insequente puerperio dispositionem huius mali procreari. Adoritur vero hic morbus in puerperio et primiparas et multiparas. Sic nos eum pertractavimus semel in primipara, quater in feminis, quae iam tria ediderunt coniugii pignora, bis post partum quartum, semel porro in femina, quae quintum enixa erat infantem, semel denique apud matrem, quae novem gaudebat liberis. Elucet ergo, hunc morbum neque primo neque repetito partui esse proprium, quamvis infitias ire non possimus, si graviditas et partus plerumque causam remotam huius mali praebeant, hoc statu saepius repetito illud malum facilius procreari (1). Sic nosmet ipsi comperimus, adfuisse in nonnullis nostrarum aegrotarum iam in puerperiis antecedentibus signa quaedam, quae certe ad phlegmasiam dolentem essent referenda, si posthac tumor extremitatum exortus esset, ita ut non sine iure contendere possimus, hanc affectionem interdum iam in partibus antecedentibus esse minatam, vel potius imperfecte efformatam. Observavimus autem in puerpera duodetriginta annorum, in quarto puerperio dolores vehementes in regione inter hypochondria sinistra, lumbos et os ilium fixos, cum pertinaci alvi obstructione et cum aliqua harum partium intumescentia, ita ut digitis se

contrectari non sinerent, id quod pro affectione rheumatica habuimus et nunc etiam haberemus, nisi in quinto puerperio eadem symptomata primordium phlegmasiae albae dolentis fecissent, et deinde tumor sinistram corripuisset extremitatem inferiorem. Sic saepius animadvertimus, ubi dolores in flexura sigmoidea coli descendentis cum obstipatione alvi, quae non facile vinci posset, inciperent, et postea tumor plerumque extremitatem sinistram aggrederetur, ibi iam in puerperio antecedente eosdem adfuisse dolorem et eandem pertinacem alvi obstructionem, ut interdum etiam dolores in una alterave extremitate, mox evanescentes (2).

(1) Si cum nostris contulerimus observationes, quas White nobiscum communicavit quatuordecim, inveniemus, hunc morbum quinquies primiparas infestavisse, semel post secundum, tertium, quartum et quintum partum obviam esse factum, bis in sexto, semel in septimo, semel denique in duodecimo puerperio occurrisse, dum in uno inter haec exempla non annotatum est, quem partum phlegmasia albe dolens insecuta sit. Sic etiam in quatuor huius mali exemplis, quae Casper retulit, semel hic tumor apud primiparam, bis post partum quintum, semel denique post partum quintum decimum erupit. Observatus est igitur hic morbus inter triginta et tria exempla septies in primiparis, cum in ceteris apud multiparas exortus sit.

(2) Optime vero haec successiva phlegmasiae albae dolentis efformatio, in sexto puerperio observata est a medico Suecico, Dr. Carlander, ubi in tertio puerperio lenis iam adfuerat phlegmasia, quae in quinto iterum erumpere minata erat, et in sexto tandem primum sinistram, deinde dextram occupavit extremitatem. Conf. Hufelands Journ. d. pr.

Art. XLIV. Bd. 1817. Februar pag. 9. seqq. Svenska Läkare—Säleskapets Handlingar. II. Bd. andra och tredje Häftet Stockholm 1815. Med. chir. Zeit. 1816. IV. Bd. pag. 138.

Attamen ubi hic morbus non iam in puerperiis antecedentibus efformari coepit, animadvertuntur tamen in graviditate interdum vel omnino signa valetudinis adversae, vel adeo symptomata, morbum nostrum iam indicantia, quamquam non raro contra mulieres spatium graviditatis sine ullo valetudinis incommodo peragunt (1). Sic observavimus, illas in postremis graviditatis mensibus conquestas esse aut de lassitudine et de doloribus in ventre, qui vel colici vel rheumatici habebantur, aut de incedendi difficultate et vagis extremitatum inferiorum doloribus, aut magis fixis in osse sacro vel regione iliaca, aut denique de obstinata alvi obstipatione una cum dolore in regione sinistra infimi ventris, quamvis nonnullae ne ullum quidem graviditatis persentirent incommodum.

(1) Conf. Casper loc. cit. pag. 14.

Ad aetatem puerperarum, in quibus hoc malum a nobis observatum est, quod spectat, animadvertimus, fere omnes annum aetatis vicesimum quartum usque ad trigesimum quartum egisse, cum semel modo hic morbus in puerpera annorum quadraginta, quae novies

pepererat, nobis occurrerit (1). Ad constitutionem corporis quod attinet, aggreditur moribus feminas tum validas, tum tenui utentes valetudine, tum macilentas, tum crassiores et obesiores, neque parcit nobilioribus et ditioribus, neque pauperibus et infimae sortis mulieribus, ita ut unaquaeque corporis conditio sit huic morbo obnoxia.

(1) In iisdem [illegible] huius mali exemplis, quorum ex scriptis celeberrimi White et Casper mentionem fecimus, quinquies annum aetatis non annotatum reperio, dum duae aegrotae ante annum vicesimum, et duae inter vicesimum, et trigesimum, quatuor porro inter trigesimum et quadragesimum, quinque denique inter quadragesimum et duo de quinquagesimo hoc tumore laborabant.

Extra puerperium nos primum offendimus hunc morbum in femina, triginta annorum, quae ante quindecim menses secundo erat liberata partu, neque amplius lactavit. Jam ante hoc puerperium laboraverat symptomatibus phthisis pulmonalis incipientis, et postea puellam lactaverat, quo eo magis exhauriebatur, cum iam adesset febris hectica, donec post refrigerationem accederent ad febrim hecticam fortiores febris catarrhalis insultus, quos aegre post mensem mitigatos insecuta est phlegmasia alba dolens extremitatis dextrae. Secundum exemplum praebuit puella sedecim annorum, cui menses, qui per tres annos iam legitime fluebant, subito erant suppressi, quo facto

biduo post phlegmasia extremitatis sinistrae apparuit. Tertium observavimus hunc morbum in viro annorum septuaginta octo, qui, opifex horologiorum, vitae sedentariae assuetus et valde obesus erat, ita ut ducentas et triginta libras ponderis civilis superaret. Correptus est hic vir febri nervosa, deliriis et symptomatibus gastricis pertinacique alvi obstructione comitata, quacum simul symptomata phlegmasiae albae dolentis in extremitate dextra sese offerebant. Quartum exemplum animadvertimus in femina, triginta duo annos nata, quae post abortum trimestrem (1) haemorrhagiam uteri continuam per plures hebdomades perpessa erat, et iam febri lenta hectica laborabat, cum alvi pertinaci obstipatione, appetentiae ciborum defectu, dum lingua semper pura erat, et cum maxima virium iactura; in decursu huius febris extremitas dextra correpta est doloribus huius mali characteristicis cum intumescentia surae et pedis, neutiquam oedematosa, sed splendide albida et tensa, quamvis femur nullo modo ambitu auctum appareret. Quintum porro huius mali exemplum pertractavimus in vidua caementarii, quadraginta quatuor annorum, quae ex longo iam tempore non pepererat, in qua symptomata exordium fecere cum febre rheumatico-gastrica cum obstipatione, ad quam accedebat dolor in

inguine et in pudendorum labio sinistro, quod intumescebat et abscessum formabat, ex quo materies lymphatica profluebat. Denique sextum extra puerperium exemplum praebuit vir, annos quinquaginta sex natus, maxime obesus, ita ut trecentas libras ponderis civilis superaret, et qui fere semper otiosus sedebat in sella, ubi ambae sensim correptae sunt extremitates hac phlegmasia (2).

(1) White credidit, phlegmasiam hanc numquam partum praematurum insecutam esse, cuius exemplum iam Casper loc. cit. pag. 51—55. adtulit.

(2) Cum certe negari nequeat, ea exempla rariora, in quibus mulieres extra puerperium et viri hac affectione corripiebantur, certe multum conferre ad dilucidandam morbi naturam, adeoque plus, quam ea, quae puerperas infestabant, non superfluum erit, eas etiam breviter hic afferre morbi historias, quas de hoc malo, extra puerperium obviam facto, cognovimus. Scriptis, quae nobis in promptu sunt, leviter perlustratis, invenimus quinque huius phlegmasiae, in viris observatae, exempla, cum ne unam quidem historiam reperire potuerimus, in qua haec rarior affectio apud mulieres extra puerperium observata sit, ita ut ea tria exempla huius morbi in feminis extra puerperii tempus observati, quorum modo mentionem fecimus, et quae nosmet ipsi observavimus, adhuc singularia esse videantur, nisi huc referamus eas morbi historias, ubi phlegmasia vel abortum vel partum praematurum insecuta est, quod Casper et nos semel animadvertimus. Primum horum exemplorum White ipse, loc. cit. 1802. pag. 91. conf. Casper loc. cit. pag. 16., affert, in quo vir septuagenarius obesus e clivo, qui tredecim pedes in altitudinem habebat, conciderat in coxam sinistram, et ossa pelvis sibi fregerat, quamvis locus fracturae detegi non potuerit; prima et secunda hebdomade parum solum tumescentiae in partibus affectis observatum est,

donec hoc tempore peracto exoriretur subito tumor in parte superiore femoris et in latere sinistro scroti, qui deorsum per femur, anticrus, et pedem sese extendebat, cutis admodum erat tensa, tumor calidus, durus, tensus, splendens, colore pallide albescente et vehementer dolens, observatae sunt in illo neque striae rubescentes, neque intumescentia aut inflammatio glandularum lymphaticarum; perduravit tumor per nonnullas hebdomades et neque scrotum neque testis lateris dextri intumuerat. Secundum et tertium, quod exstat, exemplum, a Simmons et Sankey enarratum, mihi non nisi ex commentario celeberrimi Casper notum est, loc. cit. pag. 17., quorum prius ad virum adtinet, cui testis lateris dextri, affectus malo cancroso, erat extirpatus, alterum virum sexagenarium infestavisse dictum est. Quarta morbi in viro historia inveniri potest in actis societatis physico-medicae Novi-Eboracensis, in qua phlegmasia alba dolens post typhum malignum in viro exorta erat, conf. Transact. of the phys. med. society of New-York 1817. Vol. I., Med. Chirurg. Zeit. 1819. III. Bd. pag. 78. Quintam denique de hoc malo narratiunculam perlegimus etiam in ephemeridibus medico-chirurgicis, ex qua ita fere hic morbus sese efformaverat. Vir, qui maiorem violentiam perpessus erat, ita ut crus et femur dextrum non paululum esset vulneratum, et contusio crus sinistrum occupavisset, persensit duabus hebdomadibus post dolores vehementes in infimo ventre et in regione inguinali lateris sinistri, dolor, decursum glandularum et vasorum lymphaticorum in femore sequens, sursum extendebatur per latus sinistrum pelvis, et deorsum ab inguine per femur ad genu usque, ubi vehementior erat. Praeterea omnia phlegmasiae albae signa praebebat, et post tres hebdomades, tumore iam admodum deminuto, restabat tamen aliqua partis intumescentia. Conf. H. Bord. in the Philadelphia Jour. of the med. and phys. Sciences by N. Chagman Vol. II. Nro. II. Philadelphia 1721. Med. Chir. Zeit. 1824. III. Bd. pag. 98.

Causae diversissimae et inter se maxime discrepantes occasionales a viris, qui huius

mali mentionem fecerunt, allatae sunt, et a nobis similes etiam afferri debent. Si nostras perlustramus morbi historias, non est causa, quin saepius refrigerationem et subitam transpirationis suppressionem, ut causam occasionalem, accusemus, quam alii scriptores et ipsi accusaverunt, alii contra pro causa agnoscere non potuerunt. In puerperis novem, a nobis pertractatis, bis nobis visum est, refrigerationem fuisse primariam et solâm causam occasionalem, cum apud plerasque transpirationis cutaneae functionis suppressio cum aliis causis simul in culpa fuisse videatur. Interdum ad efficiendum hunc morbum contulerunt ira, moeror et alia animi pathemata, diaeta et regimen, puerperio minus aptum, similiaque, semel fortasse ruptura perinaei inter partum huic malo vel ansam praebuit, vel saltem dispositionem auxit, denique non abfuit exemplum, in quo praeter dispositionem, a graviditate et partu ortam, et minorem refrigerationem, accusare nullam causam occasionalem potuimus, nisi maiorem debilitatem et auctam systematis nervosi sensibilitatem. Difficilius etiam est, in iis exemplis, quae extra puerperium offendimus, invenire causas occasionales, quamvis in illa virgine, cui subito menses erant suppressi, causa occasionalis, terror, minime lateret. Sic accusaverim in illa caementarii

vidua, quae ex longiore iam tempore partum non ediderat, dispositionem arthriticam, in femina, quae ante quindecim menses pepererat, maiorem iam virium iacturam, conditionem hecticam et febrem catarrhalem, qua corripiebatur ante phlegmasiae exortum, et sic in muliere, quae abortum trimestrem fecerat, nullam causam, praeter dispositionem invenire potuimus, nisi iterum sollicitudines, vitae rationem non congruentem et febrem hecticam incusare velimus. In utroque denique viro nullam causam occasionalem iure criminari possumus, nam nimia eorum obesitas et vasorum lymphaticorum debilitas dispositionem huius mali magis, quam causam occasionalem praebuisse videtur, quamquam alterum phlegmasia haec corripiebat inter febrem nervosam, alterum inter chronicam pectoris dyspnoeam. Est itaque credendum, ubi vel puerperio, vel ex alia quacunque causa, dispositio huius morbi exorta sit, egere exigua et leni solum causa occasionali, ut exoriatur ipse morbus, quam plerumque refrigeratio, interdum etiam alia irritatio morbosa praebet.

Sic expositis causis, quae in exemplis, a me observatis, tum praedisponentes, tum occasionales putabantur, restat mihi adhuc inquirere, quaenam sit ipsa haec praedispositio, quae puerperas maxime periclitatur, et causa

huius mali proxima. Cum vero omnia iterum iterumque pervolvimus et simul ad symptomata, quibuscum incedit haec phlegmasia, respicimus, statuendum esse censemus, praedispositionem huius mali inesse in conditione systematis vasorum et glandularum lymphaticorum aut debilitata aut irritata, aut simul debilitata et irritata, qua redditur ad inflammationem eius procreandam proclive et ipsam causam proximam consistere in inflammatione eiusdem systematis.

Priusquam vero aggredimur ad hanc nostram de praedispositione et causa proxima huius mali opinionem probandam, duae potissimum antea sunt refutandae sententiae, quarum altera iam a primis de hoc malo inter Francogallos scriptoribus proposita est, alterius vero medicus ille Anglicus, qui primus proprium de hac re conscripsit libellum, celeberrimus White auctor est. Contenderunt medici, praecipue Francogallici, huinc tumorem oriri vel ex retentione lochiorum (1), vel ex metastasi lactea, cum secretio lactis in mammis deminuitur vel omnino cessat, ideoque succus lacteus, qui in mammis secerni debebat, ad alia repanditur loca, et in nostro morbo praecipue ad extremitates inferiores; vel ex ambabus causis simul (2). Quam falsa (3) vero utraque haec opinio sit, tum a celeb. White,

loc. cit. pag. 37., tum a celeb. Casper, loc. cit. pag. 26., sat superque est demonstratum, ita ut certe nemo amplius sit, qui huic opinioni absoletae adhuc faveat. Nam si ex suppressione lochiorum vel e lactis aberratione, vel ex ambabus exoriatur haec singularis affectio, necesse est, primum semper adsit suppressio vel lochiorum vel secretionis lactis, vel amborum simul, vel certe deminutio harum secretionum, quod tamen neutiquam semper, ne plerumque quidem, observatur; deinde unice feminas, quae in puerperio cubant, vel saltem lactant, aggrediatur hic morbus, quod plerumque quidem, sed nullo modo semper, evenit. In illis novem exemplis, quae in puerperio pertractavimus, excretionem lochiorum numquam suppressam invenimus, quamvis semel vel bis eorum fluxum deminutum repererimus. Lactis secretio contra in plurimis quidem magis minusve deminuta erat, quod aequo passu cum vehementia febris ingrediebatur, ita ut aucta febre parcior esset, et decrescente febre rursus augeretur. In una aegrota quidem lactis secretio in mammis omnino cessabat, quod illa ex quatuor hebdomadibus non amplius lactaverat, cum infans mortuus esset; in tribus contra haec functio nullo modo perturbabatur, ita ut abundans lactis copia secerneretur (4). Hunc morbum vero non solis

puerperis inimicum esse, iis sex, quae modo retulimus, exemplis, extra puerperii tempus nobis obviam factis, iam satis demonstratum est (5).

(1) Mauriceau ita sententiam suam de retentione lochiorum expressit: « Cet accident survient souvent ensuite d' une » douleur sciatique, causée par un reflux, qui se fait sur » ces parties des humeurs, qui devroient étre evacuées par » les vuidanges, dont le gros nerf de la cuisse s'abreuve » quelquefois etc. » loc. cit. pag. 446.

(2) Puzos alteram de lactis metastasi theoriam perspicue ita explicavit: «Le lait, en se caillant dans le corps des fem» mes, ou en s'ecartant de ses routes ordinaires pour en » prendre, qui lui sont etrangers, cause une foule de » désordres, que l'on comprend sous le nom de dépòt lai» teux, ou de lait repandu. Nous appellons donc lait re» pandu, une maladie formée par le transport et le sejour » du lait dans une partie. Il n' est pas necessaire, que » cette maladie soit designée par une tumeur sensible, ou » par un abscés, pour meriter le nom de dépôt laiteux, » il suffit, que des sucs laiteux soient arretés dans les vais» seaux capillaires, ou que le lait soit infiltré dans le tissu » cellulaire, ou bien qu'il soit épanché dans quelque ca» vité. » Inter lactis metastases postea numeravit aberrationem eius in lumbos, ob vicinitatem uteri, et in extremitates inferiores, et optime hanc nostram phlegmasiam sub nomine « depót laiteux sur les extremités inferieures » descripsit loc. cit. pag. 344. et 345. Similem de morbi causa sententiam invenimus in scriptis celeb. Levret, Kunst der Geburtshülfe übers. v. Held. Leipzig 1778. I. Bd. p. 179—185. 2. Bd. p. 123—126. Sic nominavit hunc morbum, ut iam monuimus, celeb. Sauvage, in nosologia sua methodica edid. Daniel. Leipz. 1796. P. IV. p. 225., Ischiadem a Sparganosi ob lactis redundantiam et inde aberrationem in alias partes, sic alii eadem fere contenderunt.

(3) Falsa certe haec est opinio, quamvis Levret perhibuerit, numquam mulieres inveniri, ipsas lactantes, quae talem

aberrationem vel stasin lactis patiantur, nisi ablactaverint infantes eo tempore, quo lac adhuc abundet loc. cit. II. Bd. pag. 24,

(4) Ita fere res etiam se habuit in exemplis, quae White memoravit; apud sex ipsius aegrotarum lac ad normam in mammis secernebatur, apud duas eius secretio sensim cessabat, apud ceteras vel mammae munere secretionis non fungebantur, quia feminae non lactaverant, vel sensim haec functio deminuebatur. loc. cit. pag. 13—38. Eadem fere Casper observavit loc. cit. pag. 51—58. Sic in exemplo, quod Westberg, et in illo, quod Carlander observaverunt, lactis sufficiens copia, ut lactaretur infans, in mammis secernebatur. Hufl. Jour. loc. cit. pag. 4. et 9.

(5) Alia etiam exempla huius morbi, extra puerperii tempus observati, iam antea a nobis breviter sunt memorata. Optime iam monuit Casper, eos, qui theoriam aberrationis vel metastasis lactis defenderunt, fortasse, si illis haec extra puerperium exempla cognita fuissent, lusum naturae habituros fuisse ad explicanda ea, quae sine dubio ex lactis metastasi explicari non possunt.

Restat adhuc, ut alteram oppugnemus opinionem, cuius auctorem celeb. White nominavimus, quae non melius confirmata, imo nec speciem veritatis prae se ferens, a Casper nostro iam argumentis gravioribus refutata est (1). Perhibuit autem, causam huius mali proximam quaerendam esse vel in obstructione vasorum lymphaticorum eo loco, quo haec vasa sub ligamento Pupartii pelvim adeunt, vel in dissectione horum vasorum per cristam eminentem ossis pubis, quam cristam cultro acuto interdum similem sese invenisse contendit, quo fieri debuisse ut stagnaret et accumularetur lympha in membro, infra posito, quod

affectum vidimus (2). Elucet tamen per se, hanc sententiam mere hypotheticam esse, quod et ipse White intellexisse videtur, cum alio loco (3) affirmaverit, statuendam fortasse fuisse inflammationem, per pressionem capitis infantis in truncos vasorum lymphaticorum exortam, si primis post partum diebus sese ostendisset haec affectio, cum vero plerumque plures post enixum dies fuerit efformata, hunc morbum inflammationis accusari non posse. Attamen nulla adest ratio, cur inflammatio, pressione capitis infantis in graviditate et inter partum orta, non etiam plures post partum hebdomades incipiat, si lentius sese efformet. Quamvis nos vero hanc mechanicam inflammationis, quam utique huic morbo subesse contendimus, rationem non agnoscamus, tamen non negabimus, pressionem capitis infantis dispositionem ad hanc inflammationem, postea sese efformantem, procreare posse. Denique mirari possumus, quod White, qui naturam morbi inflammatoriam non agnoscit, in primo eius stadio methodum medendi antiphlogisticam laudavit, quo utique ostendere videtur, se, licet aliam studuerit probare sententiam, mali naturam inflammatoriam inficias ire non potuisse (4). Tertiam de causa proxima sententiam, falsam etiam, ut opinor, quam celeberrimus Albers defendere vel potius

probare studuisset, nisi esset morte praematura impeditus, et iam argumentis valde speciosis, et qua non facile refutari possunt, tantisper probatam credidit, impugnare adhuc superest, quod postea faciemus nos, cum nostram de indole phlogistica huius mali sententiam stabilire aggressi fuerimus.

(1) Loc. cit. pag. 27.
(2) Loc. cit. pag. 39. loc. cit. 1802. pag. 95.
(3) Loc. cit. pag. 46.
(4) Loc. cit. pag. 57.

Si sine opinione praeconcepta ad hanc accedimus materiem eruendam, quatuor potissimum sunt rationes, quae nos impellunt, ut contendamus, subesse huic malo naturam inflammatoriam; nam

I. causae occasionales et praedisponentes tales sunt, quae affectionem systematis lymphatici inflammatoriam facillime procreent;

II. ipsa symptomata malum inflammatorium indicant;

III. sectio cadaveris, quae adhuc facta est (1), tales in organis phlegmasia alba dolente affectis ostendit mutationes, quae antecedentem inflammationem comprobent;

IV. ipsa medendi methodus, quae a nobis cum successu saepius adhibita est, ea erat, quam morbi indoles inflammatoria exigeret.

Sed haec iam uberius sunt exponenda, quod ut mihi feliciter succedat, optaverim.

(1) Praeter eam feminae ex hoc morbo defunctae sectionem, quam in commentario Casper nostri, pag. 54. et 55., invenimus, nullam cadaveris sectionem novimus, neque alteram in scriptis, nobis in promptu quae sunt, reperire potuimus, nisi huc referamus, quod in censura libri Guilielmi Goodlad (A practical Essay on the discases of the Vessels and Glands of the absorbent system, London 1814.) annotatum est, Professorem medicinae Argentoratensem, Dr. Lobstein invenisse in cadavere dissecto lympham turbidam, quae partes tumentes impleret. Conf. Med. Chir. Zeit. 1815. I. Bd. pag. 7.

I. Causae, quas iam recensuimus, praedisponentes et occasionales tales sunt, quae systema vasorum absorbentium tum irritent, tum debilitent, et facile eam dispositionem in ipsis vasis foveant, ex qua postea inflammatio huius systematis exoriri possit. Nemo certe est, qui nesciat, ipsam graviditatem magnam exercere vim in vasa non solum lymphatica, sed etiam venosa inferioris corporis partis, unde oriuntur plerumque oedemata pedum gravidarum et tumores varicosi venarum, quae sine dubio ex impedita sanguinis et lymphae per vasa debilitata circulatione originem trahunt, et unde ex causis occasionalibus, minus etiam perspicuis, sed similibus, nostra etiam oritur phlegmasia. Quare negari nequit, ipsam in utero gestationem, tam per mechanicam pressionem, quam per dynamicam inter uterum et hoc vasorum absorbentium systema relationem, ad genesin huius mali utique

multum conferre, quo fiat, ut mulieres, partum enixae, facillime hac inflammatione lymphatica corripiantur (1). Attamen concedendum est, cum haec phlegmasia dolens tam raro exoriatur, subesse huic dispositioni aliquid, quod nos adhuc lateat (2), quod tamen in irritatione huius systematis, cum debilitato vigore coniuncta, consistere crediderim, ex qua evenit, ut post partum, antecedente causa occasionali quacunque, ut refrigeratione, suppressione lochiorum, ira et similibus, reactio morbosa ad hoc potissimum transferatur systema, quo irritatio ita exaugetur, ut in inflammationem transeat. Similis dispositio in iis quoque exemplis statuatur necesse est, in quibus haec phlegmasia extra puerperium sese nobis ostendit, quod per nostras observationes uberius probare superfluum erit, cum neminem effugiat, qua ratione ex suppressione subita menstruorum, ex nimia corporis pinguedine et ex similibus causis eadem dispositio, tum oriri tum in inflammationem abire queat.

(1) Optime nostrae de causa praedisponente opinioni respondent ea, quae de exemplo, saepius memorato, a Westberg nobiscum communicato, argumentatus est Hampe, loc. cit. pag. 8. et 9., cum dixit: « eher kann man annehmen, dass » Druck auf die lymphatischen Drüsen und Gefässe, wäh- » rend der Schwangerschaft sowohl, als während dem Dur- » chgang des Kopfes durch das Becken zu der Entzündung

» disponirt, und da gleichfalls unmittelbar nach der Ent-
» bindung der starke Zufluss der Säfte zur Gebärmutter
» aufhört, und die Blutgefässe der untern Extremitäten
» in einem sehr geschwächten Zustande sind, so können
» sie das Blut nicht mit gehöriger Kraft in die übrigen
» Theile des Körpers zurücktreiben. »

(2) Sic contendit celeberrimus Jörg, qui tamen ipse numquam hunc morbum observavit, non sine iure, « ohne Zweifel » liegt etwas eigenthümliches hinter dieser Krankheit, für » dessen Existenz mir die blasse, milchweisse Farbe der » Geschwulst und der damit verbundene Schmerz spre- » chen, » Handb. der Krankheiten des Weibes, Leipzig 1821. pag. 898., quamvis certe in errore versetur, cum naturam mali inflammatoriam neget; nam peculiare id, quod minus cognitum habemus, eam efformat corporis conditionem, quam praedispositionem nuncupamus, et quae inflammatoria dici debet, cum ex alia systematis lymphatici indole symptomata, quae sese offerunt, explicari nequeant.

II. Si Symptomata huius mali recensemus, et cum symptomatibus inflammationis comparamus, animadvertimus, primum dolorem, deinde tumorem et calorem auctum, numquam vero ruborem partis affectae universalem, rarissime tantum aut strias in illa rubentes, aut maculas sparsas, rubore suffusas, aut, quod semel observare nobis licuit, parvam et circumscriptam inflammationem externam. Sed si profundius in processum morbosum, ex quo haec symptomata prodeunt, intuebimur, nobis patebit, ne unicum quidem inflammationis signum abesse. Sed si diiudicare vis, num natura alicuius morbi sit phlogistica, nec ne, primum certe est quaerendum,

in quibus organis vel systematibus sedem primariam sibi sumserit affectio, de qua agitur, morbosa. Jam si decursum et symptomata ab omni parte perpendimus, contendere possumus, primariam huius mali sedem esse quaerendam in systemate vasorum lymphaticorum, et quidem sine exceptione fere in ea eiusdem parte, cuius vasa aut ipsa aut per alia sese in plexum lumbarem huius systematis effundunt. Nam si comparamus decursum huius partis systematis lymphatici cum decursu dolorum et tumoris, qui in hoc morbo observantur, ingenue est fatendum, utrumque decursum omnino inter se convenire,

1) cum animadvertamus, dolorem e regione lumbari sese deorsum ad pedem usque extendere, illum vero simul in regione lumbari, in osse sacro, in vicinitate intestini recti, in regione inguinali et in poplite vehementius ab aegris persentiri, quamquam etiam dolor secundum lymphaticorum vasorum seriem per omnes has partes observatur, cumque sciamus etiam, in iis praecipue regionibus, in quibus dolores vehementius saeviant, vasa lymphatica sese accumulare, inter se convenire et saepissime efformare glandulas lymphaticas. Quod si hic morbus sedem sibi elegit in hoc vasorum systemate, tum etiam hic praesertim symptomata morbosa et vehementiorem observari dolorem, necesse est.

z) Cum vero nervus cruralis eundem fere, ac vasa lymphatica, habeat decursum, opinari quis possit, dolorem non sequi decursum horum vasorum, sed potius nervum cruralem, quam sententiam celeberrimus Albers suo tempore pronuntiavit (1). Huic vero iure opponimus, habere nervum illum similem quidem decursum, quam vasa lymphatica, verumtamen sedem huius mali in systemate lymphatico esse quaerendam, quia alia signa adsint, quae hoc optime probent, et sedem mali in nervis, praecipue crurali, refutent. Sedem huius mali in nervis, praecipue femoris, esse, contendit Albers, propterea, quod dolores et impedita membri movendi facultas semper dolorem antecedant, et, hoc decrescente, illi dolores et illa movendi difficultas longius plerumque, quamvis iam minore vehementia, adhuc perdurent. Sed si rem diligentius perspexerimus, apparebit, magnum illum membri affecti tumorem nullo modo esse essentiale et pathognomicum huius morbi symptoma, sed adventicium, quamvis necessarium, symptoma symptomatum inflammationis glandularum et vasorum lymphaticorum, quod mox copiosius demonstrabimus. Quare quaerendum erit, utrum illi dolores et illa movendi difficultas sint symptomata, quae necessario ex affectione nervorum femoris oriantur, an satis ex affectione

iam in phlogosi unius modo vasculi vel unius glandulae huius systematis animadvertimus, sed contra iure contendi posse, cum maior huius systematis pars sit inflammata, eo maiores et vehementiores observari debere (1).

(1) Hic etiam non est praetermittendum, inflammationes in partibus nervis fere omnino destitutis, ut in ossibus, in tendinibus, maxime esse dolorificas, quo sat superque demostratum, dolores in his et in similibus partibus, cum inflammantur, vehementiores adesse posse, quam in aliis, quae maiore nervorum copia sunt instructa, quamvis hoc non facile sit explicatu.

*c)* Si vero dolores incipiunt in regione lumbari, a vero non abhorret, primum plexum vasorum lymphaticorum lumbarem inflammationis participem fieri; si in regione intestini recti et in flexura sigmoidea coli descendentis principio persentiuntur dolores, tum vasa lymphatica sacralia mesocoli et intestini recti, quae omnia et ipsa ad plexum lumbarem tendunt, primum laboravisse videntur; si dolores denique in inguine exoriuntur, tum glandulas lymphaticas vel superficiales vel profundas inguinales sedem inflammationis praebuisse putaverim, et sic porro.

*d)* Quo magis inflammatio sese extendit, eo magis dolores etiam extendi debent, quod etiam observari licet, cum dolores sese sensim vel subito a lumbis, a regione infimi ventris et ab inguine deorsum usque ad digitos pedis propagent.

*e)* Si systema, vel organon quoddam inflammari coeptum est, tum functio, cui praeest, integra manere non potest, et ita quidem, ut principio, ubi inflammatio nondum est vehemens, eiusdem functio sit utique impedita, et fieri non possit, nisi cum difficultate et doloribus, sed non suppressa sit, donec sub vehementiore inflammationis gradu omnino iaceat. Ita etiam res se habere debet, cum inflammatio adest in systemate vasorum lymphaticorum, id quod etiam in hac phlegmasia observare possumus; nam cum plerumque inflammatio vel in plexu lumbari, vel in vasis sacralibus et intestinorum crassiorum vel in inguinalibus exordium capiat, primum hîc etiam dolorem observamus, quamvis functio huius systematis, quod resorptioni praeest, nondum cesset, donec tandem, inflammatione aucta et ultra progressa, hoc resorptionis munus omnino iaceat, quod cum factum est, mirum in modum intumescit membrum malo correptum. Est igitur hic tumor, quem signum pathognomicum huius phlegmasiae habere consuevimus, nullo modo symptoma ipsius inflammationis in vasis lymphaticis essentiale, sed potius necessaria crescentis eiusdem sequela. Quare opus non est, ut hic tumor, simulac fiat inflammatio, statim etiam appareat, sed contra non prius fieri potest, quam cum systematis lymphatici

inflammatio ad eum pervenerit gradum, quo non amplius munere resorptionis fungi potest. Hoc etiam observari licet; nam primum dolent partes affectae, donec, aucto inflammationis gradu, non amplius resorbeatur, quo facto, totum membrum intumescat, necesse est. Saepius vero primum lente incedit inflammatio haec in vasis lymphaticis pelvis et infimi ventris, donec glandulas lymphaticas inguinales aggrediatur, tum augetur, et post unam plerumque noctem ita exasperatur, ut non amplius officium resorptionis praestare possit; rarius ea statim vasa lymphatica inguinalia aggrediatur, et eodem temporis spatio munus resorptionis tollit; interdum vero lentius eum gradum adipiscitur haec phlogosis, in quo vasa lymphatica non amplius virtutem suam resorbendi exercere possunt, et tum etiam serius post dolorum exortum ille tumor exoritur.

*f)* Altera adhuc quaestio reliqua est, num hic tumor re vera sit mera sublatae resorptionis sequela, an alia ratione explicari possit; ad quam diiudicandam respondebimus, praeter sublatum vasorum lymphaticorum officium resorptionis exauctam etiam postremorum arteriarum ramulorum vim et per hanc auctam exhalationem aliquid conferre ad formationem tumoris utique posse. Quae cum ita sint, tamen deminuta aut omnino sublata resorptio

semper erit causa, cur hic tumor appareat, et hanc exauctam exhalationem, quam, cum omnis inflammatio maiorem systematis arteriosi efficaciam excitet, adesse crediderimus, eo minus negabimus, quia illa ipsa optime magnitudinem tumoris, fere semper subito efformati, explicat.

*g)* Denique quaeri potest, cur hic tumor qui ex aucta exhalatione et deminuta vel prorsus sublata resorptione originem trahit, speciem oedematis prae se non ferat, cum omnibus notum sit, simili ratione omnes oriri tumores hydropicos. His vero obiiciendum est, tumores hydropicos simili quidem, sed non eadem ratione efformari, nam tumores illos neque tam subito fieri, neque inflammationem veram, saepius statum paralyticum vasorum lymphaticorum causam habere, quo evenire, ut tumores plegmasiae albae, praeter alia inter eos et hydropicos discrimina, magis naturam inflammatoriam indicent et magis tensi atque calidi evadant. Interdum observavimus autem, post plegmasiae albae dolentis decessum, extremitatem, ab illa correptam, fieri oedematosam, quia vasa lymphatica, inflammatione hac debilitata, exortum tumorum leucophlegmaticorum foveant.

4) Si vero negaverimus, causam huius phlegmasiae inesse in inflammatione systematis

vasorum absorbentium, et pro causa eiusdem affectionem nervosam agnoscere voluerimus, adsunt plura symptomata, quae ex morbosa nervorum affectione nequaquam explicari possint. Quamvis hoc plurimis possem comprobare argumentis, quae ab unoquoque, qui rem diligentius sit perscrutatus, facile erui possunt, tria modo afferam: primum, qui fiat, ut dolores praecipue in ipsis glandulis inguinalibus persentiantur, quamquam sedes eorum in nervis, praecipue crurali, ponatur; secundum, qua ratione accidat, ut saepius, dum regio inguinalis dolore incipiat, labium pudendorum eiusdem lateris iam tumefactum reperiatur, nisi concedatur, vasa lymphatica labii pudendorum, quae ad glandulas inguinales tendere scimus, non amplius munere resorptionis fungi posse; tertium denique, quomodo omnino magnus ille membri affecti tumor a sola morbosa nervi cruralis affectione exoriri possit.

5) Ipsa vero inflammationis systematis vasorum lymphaticorum symptomata, magis minusve conspicua, semper adsunt, dolor, calor auctus, rubor et tandem auctus partis adfectae ambitus, quae signa pothognomica omnium ac singularum inflammationum habemus. Dolores observantur semper in omni huius systematis parte, quae phlogosi correpta est, et quidem secundum decursum ipsorum vasorum,

et praecipue in iis regionibus, ubi aut maior eorum adest copia, aut glandulae lymphaticae collocatae sunt, quare distinctiores et vehementiores persentiuntur in regione lumbari atque inguinali et in poplite. Calor auctus in toto membro, quod a malo correptum est, tum ab aegrotis persentitur, tum a medico ipso tactu animadverti potest, quod vero hic sensus caloris non ita exauctus sese nobis praebet, quam nonnulli fortasse opinentur, in eo potissimum positum est, partim quod ipsa inflammata vasa lymphatica, quae tenues modo referunt funiculos, et ipsae glandulae non tantum valent, ut magis exaugeatur totius membri temperatura, partim quod haec vasa et glandulae profundius sita sunt, quam ut propagent calorem in ipsis exauctum usque ad superficiem membri, partim denique, quod immodica illa totius membri intumescentia, quae ex aucta exhalatione et sublata resorptione exoritur, hoc omnino impedit. Quare etiam in eo tantum gradu observamus exauctum calorem, qui maiorem arteriarum vim et acceleratum sanguinis circuitum necessario sequitur, et in iis tantummodo regionibus magis auctus animadvertitur calor, ubi glandulae et vasa lymphatica, prope superficiem posita, fortiore laborant inflammatione, quae interdum etiam oculis cerni potest. Has ob causas plerumque

rubor et tumor inflammatorius ipsius partis inflammatae latet visum et tactum in hac phlogosi systematis lymphatici, nam modo probare studuimus, magnam illam et saepe immodicam membri affecti intumescentiam, quae observatur, non esse tumorem, qui inflammationem vasorum absorbentium comitetur, sed qui ex illa inflammatione nascatur. Unde patet etiam, cur plerumque singula vasa lymphatica et ipsae glandulae, quae profundiorem habent sedem, quamvis ab inflammatione correpta sint, contrectari nequeant, quamquam interdum utique, praecipue recedente iam tumore universali, ea contrectavimus. Saepius tamen intumescentia et ipse rubor earum glandularum, quae propius ad cutem positae sunt, et singulorum vasorum lymphaticorum, quae sub cute decurrunt, distinctius et oculis et digitis detegi possunt. Sic contrectavimus interdum in inguine plures glandulas tumidas, quo loco simul aucti caloris sensum animadvertimus, sic semel deprehendimus glandulam lymphaticam exauctam, cum inflammatione partium, eam obtegentium, in sura; sic denique vidimus singula vasa, distincte rubentia et inflammata, sub cutem decurrentia, tum in femore tum in regione lumbari (1).

(1) Quamvis Albers loc. cit. pag. 17. contenderit « es ist ge» wiss falsch, dass man nach Abnahme der Geschwulst

» harte Drüsengeschwülste wahrnehmen könne; sondern » es sind bloss Unebenheiten, welche die abnehmende Ge» schwulst des Zellgewebes bildet: » sine dubio tamen in errore versatus est; nam si hi tumores, qui post intumescentiae universalis decessum contrectari possunt, glandulae vel vasa lymphatica non essent, necesse esset, nos, qui hos saepius deprehendimus, distinguere non posse, quis esset tumor lymphaticus. Magis etiam hic celeberrimi Albers error eo apparebit, quod iam in morbo incipiente et efformato interdum observari possunt. Praeter nos alii etiam nunc tumorem glandularum lymphaticarum, nunc vasa absorbentia ipsa tumentia in hac phlegmasia observaverunt. Jam White attulit, se animadvertisse tumentes et duras glandulas lymphaticas ad pudenda, in poplite, pariter atque in medio circiter femoris latere posteriore, loc cit. pag. 10. Sic ait Westberg, recedente universali membri intumescentia, plures parvos et duros glandularum tumores, qui postea evanuerint, deprehendi posse, loc. cit. pag. 8. Sic annotavit Wyer « an der Seite des musculus tibialis » anterior bemerkte ich eine leichte Röthe, gleichsam als » wenn man einen in Himbeerensaft getränkten Strohhalm » vom Knie bis zur Biegung des Fusses über das Glied » hingezogen hätte. Dieser Streif war äusserst schmerzhaft » beim äusseren Druck, vorzüglich unter der Mitte des » Muskels, da, wo eine kleine lymphatische Drüse liegt. » Conf. Bemerk. üb. d. Geschwulst der untern Extre» mitäten der Kindbetterinnen von Dr. Wyer, aus dem » Engl. übers. von. Dr. G. von dem Busch, mit eini» gen Anmerkungen von Dr. J. A. Albers, in Hufelands » Journ. 1817. Junius pag: 53. » Sic denique observavit James Lofland in exemplo, a se narrato, rigorem articulationum et tumores magnitudine iuglandis. Conf. the American med. Recorder Vol. I. a case of phlegmasia alba dolens, by James Lofland. Med. Chir. Zeitung. 1820. IV. Bd. pag. 204.

III. Solam cadaveris dissectionem, quae exstat, abunde demonstrare, phlegmasiam albam

dolentem esse malum inflammatorium, optime ipsa celeberrimi Casper verba docent. « Postridie ad dissectionem me accinxi. Crurum » tumor adhuc idem erat, utique aequalis; » omnes vero ceterae cadaveris partes valde » affectae inveniebantur. In thorace pulmones » fere sani videbantur, nonnullis tuberculis » in dextro superiore lobo, et vomica sat magna cum bronchiis communicante exceptis; » cordis substantia muscularis insigniter flaccida erat. In abdomine aperto hepatis totius incrementum primum notatu dignum » observatum est; parenchyma molle erat et » pulposum, ita ut digitus facillime idem perforaret. Lata uteri ligamenta insigniter vasculis instructa videbantur, superficies interna » uteri sordido-viridi colore utebatur, mollis » erat, gangraenosa, putida. Orificium uteri » tumidum erat, lividum, gangraenescens, sicuti tota vagina. Crurum cute tunc perscissa, » tela mucosa visa est paullo laxior (aufgelockert), ubique *liquido subfusco*, odore carente, impleta; glandulae inguinales *sanguine* » *solito abundantiores et tumidiores* reperiebantur; musculi flavidissimi erant et in crure » et in aliis partibus. Percaute reteximus vasa » magna *sanguifera*, omnino vero *sana* visa » sunt, et in externa et in interna superficie. » Eodem modo *nervi* crurales, ischiadici etc.

» denudati sunt: *ne minimum quidem* extra » morem erant, nec tumidi, nec rubefacti. » Memorabile tamen est, conditionem morbo» sam telae cellulosae *non in solis cruribus*, » sed etiam *per totam pelvim* usque ad muscu» lum Psoadem, Iliacum internum etc. visam » esse. Mortuae propinqui non permiserunt; » ut cerebrum, medullamque spinalem etiam » perscrutaremur. » loc. cit. pag. 54 et 55. Dolendum vero est, non esse annotatum, num vasa ipsa lymphatica inflammata reperta sint, nec ne? quod ita se habere, eo magis crediderimus, cum glandulae inguinales fuerint sanguine solito abundantiores et tumidiores. Si vero ipsi Casper memoratu dignum et mirum fuit, quod conditio morbosa telae cellulosae non in solis cruribus, sed etiam per totam pelvim usque ad musculum psoadem, iliacum internum etc. visa sit, hoc eo minus miramur, cum nos iam antea docuerimus, inflammationem, quae huic morbo subest, plerumque in plexibus lumbaribus et sacralibus systematis lymphatici incipere, quo fieri debere, ut etiam ea telae cellulosae pars, quae hos plexus circumdet, eadem lympha stagnante sit repleta. Quapropter etiam hac cadaveris dissectione nostram de hoc morbo sententiam confirmatam censemus.

IV) Ipsa denique medendi methodus, quam,

secuti sumus, et quam postea copiosius exponemus, eo magis naturam morbi probat inflammatoriam, cum nos, rationem inflammationis in systemate lymphatico et pathematis universalis semper respicientes, antiphlogisticam adhibuerimus cum successu felici methodum. Eandem medendi rationem plures de hac re scriptores secutos esse reperio, quamvis negari nequeat, plerumque parum sibi constantem adhibitam esse curandi methodum, ex qua nequaquam certo in morbi naturam concludere possumus.

Sic expositis causis, quae ad procreandum hunc morbum conferre nobis videntur, contenderimus:

1) consistere causam proximam phlegmasiae albae dolentis in inflammatione systematis vasorum lymphaticorum (1);

2) eam huius systematis partem hac corripi inflammatione, rarissimis exceptis exemplis, cuius vasa ad inferiorem corporis partem tendunt; quare fere numquam ea vasa lymphatica hoc morbo afficiuntur, quae supra plexum lumbarem ad diversas corporis partes distribuuntur;

3) dispositionem aliquam huic inflammationi occasionalem praebere;

4) consistere hanc dispositionem in irritatione huius partis systematis lymphatici vel

sine vel cum debilitato eiusdem vigore, quae plerumque per graviditatem et insequentem partus actum praeparetur, sed etiam extra puerperium locum habere possit (2).

(1) Recentiorum plerique naturam morbi inflammatoriam agnoscunt, neque amplius ad ceteras de eius indole theorias respicitur. Sic Westberg de causa proxima ita locutus est: » Es scheint die hauptsächlichste Ursache in einer Affection » der im Becken liegenden lymphatischen Gefässe zu bestehen, wodurch eine starke Ergiessung lymphatischer » Feuchtigkeit, mit welcher zugleich eine gelinde Entzündung der leidenden Theile verbunden ist, hervorgebracht » wird; » quibus verbis assentitur celeberrimus Hufeland, cum dixit, « die Entzündung der lymphatischen Gefässe, » und die davon entstehende Ergiefsung der Lymphe in » die cellulosa subcutanea macht sicher die nächste Ursa- » che der Krankheit aus. » Conf. Hufelands Jour. 1817. Febr. pag. 4. Casper, qui primus copiosius naturam morbi inflammatoriam defendere conatus est, morbum hunc in inflammatione systematis absorbentium, nonnumquam fortasse simul etiam telae cellulosae positum esse affirmat. loc. cit. pag. 33. seqq. Francis Moore ei subesse inflammationem lymphaticam, irregulari contractione partium, quae inter graviditatem extensae erant, obortam, ex qua tum congestiones sanguinis, tum retentiones lymphae procreentur, contendit. Conf. the London med. and phys. Jour. 1814. Sept. Med. Chir. Zeit. III. Bd. pag. 254. Sic singularem huius morbi praedispositionem posuit G. Purdy, ex qua exoriretur inflammatio glandularum et vasorum lymphaticorum partis affectae, quae cum inflammatione ramulorum arteriarum in arthritide acuta congrueret. Conf. Transactions of the physico-med. society of New-York 1817. Vol. I. Med. Chir. Zeit. 1819. Bd. III. pag. 78. Sic alii similia fere contenderunt. Hoc loco non possum, quin addam, Albers ipsum, qui bis in diariis celeberrimi Hufeland, 1817. Febr. et Juny, suam de nervosa huius mali indole opinionem breviter quidem, sed sine ulla dubitatione exposuerit, serius intellexisse, se in errore esse versatum, quapropter etiam monographiam, a sese promissam, postea non edidit.

(2) Jam conscriptis his pagellis offendimus in diariis medico-chirurgicis (Med. Chir. Zeitung, Jahrg. 1824, Bd. 4. S. 134.) epitomen tractatus, a medico Anglico, Davide D. Davis de causa phlegmasiae dolentis proxima conscripti, qui in actis medico-chirurgicis Londinensibus (Medico-chirurgical Transactiones Vol. XII. P. II. London, 1823.) nobiscum communicatus est, quam epitomen hic reddidisse ob rei gravitatem non superfluum erit. — « Die nächste Ursache der » Phlegmasia dolens besteht in einem inflammatorischen » Leiden, welches plötzlich ein bedeutendes Austreten von » Serum und coagulabler Lymphe aus den exhalirenden Ge- » fässen in die Zellhaut des Gliedes bewirkt. Die Muskeln, » die Zellhaut und die innere Fläche der Cutis halte ich für » den Sitz dieser Entzündung. In einigen Fällen theilt sich » dieselbe vielleicht den grossen Blutgefässen, den Ner- » ven, lymphatischen Gefässen und Drüsen mit; die nächste » Ursache der Phlegmasia dolens ist nach dem Verfasser » eine heftige Entzündung einer oder mehrerer Venen im » Becken oder in der unmittelbaren Nähe desselben, wel- » che eine Verdickung ihrer Häute, eine Bildung falscher » Häute auf ihrer innern Fläche, allmählig eine Coaguli- » rung ihres Inhaltes, und dann und wann eine zerstörende » Eiterung ihres ganzen Gewebes hervorbringt. Die Folge » hiervon ist, dass der Durchmesser dieser wichtigen Ge- » fässe so bedeutend verkleinert, ja zuweilen so gänzlich » verstopft wird, dass sie gänzlich unfähig werden, das » ihnen durch die Aeste zugeführte Blut weiter zu bringen. » Vier mitgetheilte Fälle dienen als Beweise für die Ri- » chtigkeit dieser Ansicht. Im ersten fand man die Ingui- » naldrüsen angeschwollen, aber nicht entzündet, die Vena » femoralis, die Vena Iliaca externa und communis ausge- » dehnt und anscheinend mit Coagulum ausgestopft; die » Häute der Femoralportion derselben etwas verdickt, dun- » kelroth, und mit einem festsitzendem Blutcoagulum an- » gefüllt, den Stamm der profunda gleichfalls ausgedehnt. » Die Substanz, welche die Iliaca externa und communis » enthielt, bestand gleichfalls aus einem lamellenförmigen » Coagulum, wie in einem aneurysmatischen Sacke, und » verstopfte sie gänzlich; in der Mitte befand sich dicke, » bräunliche Materie. Im zweiten Falle, wo das Uebel

» gänzlich gehoben war, die Kranke aber an einer Apoplexia » nervosa plötzlich starb, war die linke Vena iliaca fest » mit den sie umgebenden Theilen verwachsen, ihre Wände » etwas verdickt, ihre innere Haut an verschiedenen Stel- » len mit Ablagerungen fest aufsitzender Lymphe bekleidet. » Die rechte war gesund. In den zwei andern Fällen ver- » hielt es sich mit Ausnahme geringer Abweichungen ganz » eben so, wovon der Beweis in den drei trefflichen zu » dieser Abhandlung gehörenden Kupfertafeln zu finden » ist. Im Verfolge dieser Abhandlung sucht der Verfasser » dann die Symptome aus dieser, von ihm angenommenen » nächsten Ursache zu erklären, und begründet auf sie die » Behandlungsart, die vorzugsweise auf Beseitigung der » Entzündung mittelst Blutegeln, und kalten Fomentationen » nebst Blasenpflastern beruht. Von allgemeinen Aderlässen, » so wie von Antimonialien sah er keinen Nutzen, eben » so wenig von allgemeinen Fomentationen, innerlich ge- » brauchte er die Digitalis zu zwei Gran alle paar Stun- » den, bis sich einige der ihr eigenthümlichen Symptome » zeigten. » Quamvis haec nova de sede huius inflammationis in truncis venarum tum pelvis tum extremitatum inferiorum theoria, primo intuitu nobis valde arriserit, ut omnibus certe lectoribus arridebit, tamen plures adsunt causae, quae huic opinioni repugnent. I. Ceterae, quae exstant, de inflammatione venarum observationes docuerunt, illam cum symptomatibus, longe aliis et quidem a signis phlegmasiae albae dolentis maxime discrepantibus, ingressam esse. II. Sectiones cadaverum quatuor, quas auctor huius theoriae attulit, demonstrant quidem reperta esse symptomata inflammationis in ipsis venis et in eorum vicinitate, sed neutiquam probant, primariam huius inflammationis sedem in ipsis venis esse quaerendam. III. In illa cadaveris sectione, quam Casper nobiscum communicavit, signa inflammationis in ipsis vasis lymphaticis aderant, cum venae inflammatae non reperirentur. IV. Adsunt symptomata, quae in decursu morbi observantur, inflammationem systematis vasorum lymphaticorum indicantia, et quae ad phlogosin venarum referri nequeunt. V. Medendi denique methodus, quam Davis laudavit, morbo venarum maiorum inflammatorio non omnino adaptata videtur, cum nostram

curandi rationem, quam statim addam, naturae inflammationis vasorum lymphaticorum congruentem et simul plerumque feliciter adhibitam quisque inventurus sit medicus. Tamen non negabimus, cum observationes recentiores et physiologicae et pathologicae luculenter demonstraverint, praeesse resorptioni non sola vasa lymphatica, sed simul etiam extremos venarum ramulos et ipsas venas, quod iam experimentis satis demonstratum videtur, ad statum morbosum systematis venarum praeterea respiciendum esse, et a veritate non abhorrere, morbum nostrum non solum in inflammatione systematis lymphatici, sed simul seriei venarum, quibus partes affectae instructae sunt, esse quaerendum, unde eo facilius explicari posse, cur tam repente intumescat membrum affectum, cum simul tum vasa lymphatica tum venarum ramuli officio resorptionis non amplius fungantur. Est igitur fortasse causa huius mali proxima in inflammatione tum vasorum lymphaticorum tum ramulorum venarum et ipsarum truncorum quaerenda.

## *Prognosis.*

Cum ad unum fere omnes de phlegmasia alba dolente scriptores tristissimam de prognosi protulerint sententiam, nobis eo magis gaudio fuit, quod ex nostris observationibus cum illis consentire non possumus. Sic ut aliorum taceam sententiam, nominavit celeberrimus Albers (1) albam phlegmasiam *morbum sine dubio terribilem;* sic contendit celeberrimus Casper in commentario, saepius laudato (2), « *eam semper, non nisi malam, imo pessimam admittere prognosin* » sic porro dixit celeberrimus Carus in eximio suo de morbis mulierum enchiridio (3), « die Prognose ist bei einer so

» schmerzhaften, langwierigen, ja selbst ge-
» fährlichen Krankheit, allerdings im Allgemei-
» nen höchst ungünstig zu nennen; » sic alii denique eadem protulerunt dicta prognostica. Nobis vero quamvis ille morbus sese obtulerit graviorem, et qui non facile sanetur, tamen successit, ut plerumque sine ullo valetudinis discrimine illi mederi possemus, nisi complicationibus, quae simul adessent, peiorem pronunciare prognosin cogeremur. Quare hanc proferre sententiam non haesitavimus, phlegmasiam albam dolentem, inter omnes inflammationes maiores, quae puerperas corripiunt, optimam admittere prognosin, quia systema vasorum lymphaticorum minoris dignitatis in oeconomia vitali sit, quam cetera systemata et organa, quae in puerperio a processu phlogistico interdum corripiuntur, qualia sunt meninges cerebri atque ipsum cerebrum et peritonaeum cum visceribus, quae ab illo cinguntur (4). Simili ratione possumus etiam in hac inflammatione, ubi extra puerperium obviam fit, meliora praedicere, quam in malis, huic vel cognatis, ut in inflammationibus systematis vasorum sanguiferorum, quae semper fere habuerunt exitum letalem, vel similibus, ut saepius in oedemate pedum, et in plerisque hydropis speciebus.

(1) Conf. Hufelands Jour. Febr. 1817. pag. 13.

(2) loc. cit. pag. 41.

(3) Lehrbuch der Gynäkologie Leipzig 1820. II. Th. pag. 568.

(4) White tamen meliorem de hoc morbo pronunciavit prognosin, dicens, » ich habe nie bemerkt, dass diese Krankheit » in Eiterung übergegangen wäre, einen tödtlichen Ausgang » gehabt hätte, oder, dass irgend eine wesentliche Unbe- » quemlichkeit nach Verlauf einiger Monate übrig geblie- » ben wäre, ausgenommen etwa eine kleine Geschwulst » des Beines nach einer starken Anstrengung, besonders » nach starkem Gehen. » loc. cit. pag. 12. Similia fere praedixit etiam Wyer, conf. Hufelands Jour. Juny 1817. pag. 60.

Memoravimus iam antea, phlegmasiam hanc ad morbos chronicos non esse referendam, quod ab omnibus de illa scriptoribus factum est, sed contra eam esse inter acutos recensendam morbos, quamvis saepius in statum chronicum abeat.

Ad prognosin specialiorem quod spectat, theses sequentes statuendas esse censuimus.

I. Naturae morbi congruit, hanc inflammationem decursum morborum acutorum habere, quare saepius inter diem undecimum et hebdomadem quartam terminatur, ita ut inflammatio omnino resolvatur. Quod si vero ambae extremitates deinceps corripiuntur, quod non nisi symptomatibus febrilibus, denuo recrudescentibus, fieri solet, plerumque id eodem temporis spatio in altera extremitate fit, quo in priore symptomata inflammatoria localia vel evanescere consueverunt, vel re vera

evanuerunt, et sic etiam altera laborat extremitas per idem spatium dierum undecim ad mensem usque.

II. Non raro tamen abit haec phlegmasia etiam in statum chronicum, et ita quidem, ut, motibus febrilibus et doloribus vehementioribus remissis, restet chronica partium affectarum intumescentia (1), quae vel post unum alterumve mensem, imo post annum dimidium penitus evanescit, vel per annum, imo per plures annos et interdum per totam vitam perdurat, tum comitata difficultate ingrediendi et vera claudicatione. Plerumque vero haec, quae restat, chronica intumescentia, praecipue in pede et inferiore anticruris parte, magis oedematosa reperitur, quod a natura mali, ut iam exposuimus, non abhorret.

(1) Cuius rei exemplum memorabile, quod Elephantiae pedis speciem referebat, ex medico-chirurgicis Transactions of London, II. Edit. London 1813. Vol. II. pag. 63. allatum, in commentario celeberrimi Casper pag. 44. reperies.

III. Rarissime vero evenit, ut haec inflammatio, dum in suppurationem universalem fere numquam abire videtur, abeat in partialem suppurationem, quod bis observavimus, ubi tumor in labio pudendorum in abscessum abiit, qui maturatus non verum pus, sed materiem magis lymphaticam et limpidam, et magnam lymphae coagulabilis copiam continentem,

effundebat (1). Numquam vero gangraena terminari mihi visus est hic morbus (2), quamvis semel a nobismet ipsis a gangraena in ipsa vulva, satis extensa, observata sit, cuius causam tamen magis in rudi inter partum auxilio, et in inflammatione, e ruptura perinaei exorta, quaesierim, quam in natura huius inflammationis.

(1) Phlegmasiam hanc in suppurationem partialem abiisse, annotatum reperimus a White, quamvis alio loco, pag. 12., hunc exitum morbi negaverit, itemque a Simmons, Hull, Boer et ipso Casper. Conferatur eius commentarius pag. 43., ubi haec exempla recensita sunt, et pag. 60., ubi proprium narravit exemplum. Callisen vero affirmat, transire hoc puerperarum oedema in abscessum lymphaticum vel lacteum, et interdum pustulis cutaneis copiosissimis prorumpentibus indicari, loc. cit. §. 40., quod a nobis numquam observatum est.

(2) Inflammationem hanc localem gangraena terminari, observavit celeberrimus Boer, loc. cit. pag. 122.

IV. Numquam denique observavimus nos hunc morbum per se morte finitum (1), quamquam duo meorum aegrotorum, dum adhuc phlegmasia in extremitatibus aderat, diem supremum subierunt, quorum alter, vir fere sexagenarius, complicatione morbi cum statu paralytico pulmonum confectus obiit, altera febre lenta hectica, sine affectione locali, ex repetitis haemorrhagiis uteri originem trahente, defuncta est.

(1) In commentario celeberrimi Casper adnotatum reperio, saepius hunc morbum aegrotis letalem fuisse, loc. cit. pag. 45., sed quod ad exemplum spectat, quod ipse pag. 51—55. narravit, censuerim, feminam non ex hac phlegmasia mortuam esse, sed ex morbo graviore antecedente, in quo viscus iecinoris praecipue laboravisse videtur, nam iam eodem die, *quo partus praematurus ob nimiam iam virium iacturam evenerat*, pessimum verebatur Casper exitum, qui cito, vespere tertii post partum diei, postquam die secundo phlegmasia unius, et horis matutinis diei tertii alterius extremitatis exorta est, symptomatum letalium agmen clausit.

## *Medendi Methodus.*

Ingenue nos etiam fatemur, eam medendi methodum, quam in primis exemplis huius mali, quae nos offendimus, secuti sumus, cum natura mali non prorsus congruisse, quia de indole eiusdem essemus ambigui et omnino haesitaremus, num hic morbus ad phlogoses, an ad neuroses, an denique ad aliud morborum genus esset referendus. Quare etiam ea medendi ratio, quam in prima huius morbi historia, huic opusculo adiuncta, adhibuimus, eo minus lectoribus benevolis satisfacere poterit, cum nobismet ipsis nullo modo satisfecerit. Haec vero est sors omnibus communis in studio artis medicae, ut per errores, saepe repetitos, ad veritatem tandem perveniamus, nec unquam interdum speciem veritatis ab ipso vero discernere discamus. Quamvis ergo nos principio neque malum ipsum satis nossemus,

neque indolem eius perspiceremus, tamen iam tum veri praesagium, quod habuimus, commovit nos ad adhibendam medelam, quae a natura et causa proxima huius mali non prorsus esset aliena, quo factum est, ut eae etiam aegrotantes, quibus primum opem tulimus, ab hoc malo liberarentur. Deinde uberiore experientia melius de nostro morbo edocti, meliorem etiam adoptavimus curandi methodum, quam hîc copiosius verbis exponere, eo magis cupivimus, cum succincta et accurata medelae expositio adhuc in votis esset. Quamvis longe quidem absimus, ut credamus, nos hanc materiem exhausisse, putaverimus tamen, omnes certe medicos lubenter perlecturos esse ea, quae nos ipsa experientia de ratione huius morbi pertrectandi edocuit, quare haec rudimenta medendi summa, qua fieri poterit, diligentia expadituri sumus.

Natura morbi inflammatoria, de qua, ut credo non amplius dubitari potest, medendi methodum antiphlogisticam utique requirit, sed cum haec inflammatio plerumque in corpore iam antea debilitato locum habeat, non ita extendi potest haec methodus, quam in ceteris phlogosibus, et quidem eo minus, quia unaquaeque inflammatio in systemate vasorum lymphaticorum eam non adipiscitur vehementiam, quam in inflammationibus systematis

vasorum sanguiferorum, praecipue arteriarum, et viscerum, magna vasorum sanguiferorum copia instructorum, observare consuevimus, et quia ipsa febris, quae eam comitatur, neutiquam speciem febris verae inflammatoriae prae se fert, sed contra magis naturam febris nervosae, sub charactere ambiguo, exprimere videtur. Attamen non est praetermittendum, febrem, quam in hoc morbo animadvertimus, aut prodire ex affectione locali phlogistica, quamvis haec etiam principio, quo febris iam accesserit, adhuc latere possit, aut saltem, cum iam antea ex aliis causis adest febris, per efformationem inflammationis in organis, et subiectis, admodum exaugeri. Quam ob rem necesse est, ut haec febris semper aliqua ratione characteris inflammatorii particeps reddatur, quare si indoles eiusdem esset praeterea nervosa, tamen semper aliquid naturae febris inflammatoriae illi subesse oporteret. Itaque adhibebimus semper apparatum antiphlogisticum, attamen tum ob naturam inflammationis, tum ob indolem febris non omnino synochicae, tum denique ob causas remotas diversas, quae vires suas exercuerunt, diversa ratione immutatum, neque in totum ambitum, quo adhiberi potest, extensum.

Cum ad aegrotantem adsciti, eam febricitare invenimus, quamvis nullum adhuc

symptomata locale adsit, tum hanc phlegmasiam suspicari non possumus, quare etiam medela contra malum latens institui non potest: oportet igitur, ut symptomatibus febrilibus, quae adsunt, pro sua natura, mox speciem gastricae, mox inflammatoriae, mox denique nervosae prae se ferente, succurratur. Plerumque vero febris ita se praebet, ut dubitare possit medicus, sitne magis ad febrem synochicam, an ad typhosam, an ad gastricam referenda, nam symptomata, quae offendit, haud sibi constantia, et quae saepe mutentur, reperiuntur; quare etiam difficillimum erit rectam inire medendi viam. Saepius tamen febris sese distinguit maiore erethismo in systemate vasorum et nervorum, et simul eam comitantur symptomata manifesto gastrica, tum plerumque cum fructu ea adhibentur remedia, quae irritabilitatem deminuunt et leniter alvum, fere semper obstipatam, ducunt. Sic morbo, nondum aperte efformato, a nobis adhibita sunt potissimum infusa florum chamomillae vel radicis valerianae, minus saturata, mox cum liquore ammonii acetici, mox cum natro sulphurico et manna, quibus interdum granula quaedam extracti hyoscyami addebam, si nimia nervorum sensibilitas esset debellanda. Semper simul in puerperio ad secretionem tum lochiorum tum lactis in mammis respe-

ximus, quam si deminutam, vel omnino cessantem invenimus, hanc suctionibus mammarum, frequenter repetitis, illam insessibus supra aqua tepida et ceteris remediis aptis, promovere studuimus. Si vero iam tum pertinacior alvi obstructio et symptomata gastrica, magis conspicua, adfuere, remedia fortiora, alvum ducentia, sed numquam ex drasticis eligenda, cum clysmatibus emollientibus adhibui, ut aquam laxativam cum natro vel magnesia sulphurica et manna, quibus interdum adiunxi aquae menthae piperitae uncias quasdam. Quibus adhibitis symptomata febrilia plerumque mitigabantur, sed numquam penitus evanescebant, donec mox, motibus febrilibus denuo auctis, signa ipsius phlegmasiae magis conspicua redderentur, quod plerumque sese manifestavit doloribus vehementioribus, per totum ventrem qui sentiebantur, in regione vero vel lumbari, vel curvaturae sigmoideae coli descendentis magis fixis, quos simul pertinacior alvi obstipatio comitabatur. Jam eadem fere, atque antea, a nobis data sunt remedia, sed ita tamen, ut saepius sub doloribus vehementioribus, colicis in toto ventre, vel in aliquo loco fixis, praescripserim emulsionem seminum papaverum, aut cum infuso florum chamomillae paratam, aut additis aquae menthae piperitae unciis aliquot, una cum largioribus natri

sulphurici vel magnesiae sulphuricae dosibus, adiunctis granis pluribus extracti hyoscyami; et simul saepius clysmata emollientia applicata sunt. Si vero dolores augebantur, et suspicionem inflammationis, ad intestina facile se propagaturae, movebant, tum maiore cum successu doses plures calomelanos, ex grano uno cum extracto hyoscyami et saccharo paratae, quater vel sexies per nycthemeram praescriptae sunt, quae per vices cum emulsione, iam laudata, porrigebantur.

Saepius vero morbus iam efformatus nobis obviam factus est, vel quia serius ad lectum aegrotantium adsciti eramus, vel quia morbus haud raro repente erat exortus; tum similem quidem, sed latius patentem medendi rationem secuti sumus. Quamvis de natura morbi inflammatoria apud nos constet, tamen in eo pertractando neque venaesectione neque sanguinis detractionibus localibus per hirudines opus esse, nobis visum est, quamquam non negaverim, localibus sanguinis missionibus in statu vere plethorico, imo universalibus, interdum cum fructu uti licere. Nostris temporibus, ubi in unoquoque morbo suspicamur inflammationem vel apertam, vel latentem, non superfluum erit monere, inflammationes dari, quae characterem synochicum universalem omnino non, localem minus exprimant, inter

quas hanc etiam nostram phlegmasiam referimus, quod tamen ultra probandi hîc non est locus, in quibus sanguinis missiones tum universales, tum locales plerumque nocent. Haec tamen adiiciam necesse est, in iis inflammationibus, quae cum symptomatibus conspicue gastricis coniunctae sunt, a sanguinis detractionibus, ceteris paribus, prae aliis abstinendum esse, ut in omnibus fere erysipelatis speciebus. In nostro vero morbo signa actionis organorum gastricorum morbosae nequaquam latent, quare etiam putaverim, in illo praecipue sanguini esse parcendum. Quam ob causam in omnibus a nobis plerumque, et, si phlegmasiam spectes, semper, feliciter pertractatis huius mali exemplis, ne semel quidem sanguinem detraximus (1).

(1) Commendantur sanguinis detractiones a Puzos, Ferriar, Callisen, Westberg, Casper et aliis, eorum vero usum spernunt White, Boer, Strohmeyer, Albers aliique. Cum Westberg aegrotantis suae venam secari iussisset, monuit celeberrimus Hufeland « locale Blutentleerung durch Blutigel am Unterleibe und Schenkel ist in dieser Krankheit » allezeit vortheilhafter befunden als allgemeines Aderlass » et nobis, ut iam dixi, ne localibus quidem sanguinis detractionibus opus fuit. Conf. Casper, loc. cit, pag. 47. Hufelands Jour, 1817. Februar, pag. 17.

Quam iam in morbo, nondum aperte efformato, secutus sum medendi viam, in efformato relinquere numquam coactus sum. Semper principales indicationes curativae erant:

1) ut deminuerentur nimiae in systemate vasorum actiones et erethismus;

2) ut removerentur signa, quae semper aderant, gastrica;

3) denique ut simul ad statum vasorum inflammatorum lymphaticorum respiceretur, et ad modum, quo in ipsis tolli posset inflammatio.

Jam vero contenderit fortasse quis medicorum, hanc medendi methodum esse mere symptomaticam dicendam, in qua ad malum, quod his symptomatibus subest, inflammatorium postremo respiciatur. Cui responderim, debellatis causis occasionalibus vel remotioribus gastricis erethismum in systemate vasorum deminui, quod praeterea etiam per talia remedia fieri possit, quae viribus, sibi propriis, in actiones vasorum, praecipue sanguiferorum, agant easque deminuant et mitigent. Cum a statu actionis erethismi in systemate vasorum sanguiferorum unaquaeque inflammatio ex magna parte pendeat, facile intelligitur, qua ratione effici possit, ut tum remota complicatione gastrica, tum deminutis actionibus et erethismo in systemate vasorum, inflammatio localis simul cesset. Haec vero medendi via ineatur, eo magis opus est, cum fere numquam contingat, ut immediate in ipsa organa inflammata agere possimus.

Quas omnes indicationes optime explent remedia, iam antea proposita. Plerumque adhibuimus nunc etiam natrum sulphuricum, extractum hyoscyami (1) et mercurium dulcem (2). Quae tamen medicamenta, prout symptomata expostulabant, mox per se, mox in connubio cum emulsionibus involventibus, cum maior adesset ventris sensibilitas, mox cum laxantibus, ut manna, aqua laxativa et similibus, ubi signa gastrica et praecipue pertinax alvi obstructio ad eorum usum exhortabantur, propinata sunt. Addidimus saepius his infusa radicis valerianae, florum chamomillae et alia, ubi viribus, iam antea labefactis, erat succurrendum, sic etiam leniora antispastica, ut aquam vel infusum herbae menthae piperitae, tincturam castorei moscovitici et similia, ubi ex spasmis in ventre, praecipue inflantibus, exoriebantur anxietates, dyspnoea et animi deliquia. Sed non abfuere exempla, ubi ad alia etiam remedia esset confugiendum, quod eo minus eget explicatione, cum quisque medicus scire debeat, quomodo sit inchoata medendi methodus pro diversitate symptomatum commutanda. Praescripsimus igitur saepius in morbo efformato et adhuc crescente formulas sequentes;

℞. *Semin. papav. alb. unc.* β
*Fiat. leg. art. c. aq-flor. chamomill. emulsio unc.* VIII,
cui adde
*Natri sulphur. unc.* I
*Extr. hyoscyam. gr.* VI
*Syrup. mannae unc.* I
*Misc. sign.* Omni secunda hora cochlear unum est hauriendum

℞. *Calomelanos*
*Extr. hyoscyami aa gr.* I
*Sacch. albi* ʒβ
*Misc.* fiat pulvis, disp. doses XII.
*Sign.* Omni secunda vel quarta hora unus est sumendus.

Sumtis his medicamentis, plerumque post primam nycthemeram, motus febriles et dolores vehementiores mitigati sunt, praecipue si plures, quinque ad sex, evenerunt alvi solutiones, vel pultaceae vel fluidae (3), quarum secessu aegrotantes neutiquam debilitabantur, sed contra meliores et fortiores sese sentiebant. Jam eadem remedia per plures, immo octo dies, erant continuanda, ut bis vel quater esset quotidie alvus soluta, quo facto febris sensim evanuit, dolores in partibus inflammatis in dies decreverunt, lingua obtecta sese expurgavit, cessaverunt dolores in ventre colici, et redierunt tum vires tum ciborum appetentia.

Die quinto saepius omnes iam cessaverunt dolores vehementes, et tum ab usu mercurii dulcis abstinuimus, ne inexoptatus exoriretur ptyalismus, qui interdum tamen, quamvis mature calomelanos usus internus et unguenti neapolitani applicatio externa abiiceretur, vitari non potuit. Interdum vero pertinacior nobis occurrit alvi obstipatio, non facile victa; tum ad remedia fortiora alvum ducentia, sed non drastica et ad clysmata erat confugiendum. Tum loco emulsionis porreximus aquam laxativam una cum mannae et salis vel mirabilis Glauberi vel amari dosibus largioribus, quae tamen simulac saepius alvum solvebant, deminuebantur. Semel tamen tam pertinacem offendimus alvi obstructionem, ut die sexto tandem victa sit. Die primo emulsio seminum papaveris cum salis mirabilis Glauberi et syrupi mannae uncia una assumta est, et clysmata duo applicata sunt, quae ne semel quidem alvum aperiebant. Secundo die praescripsimus aquae laxativae uncias tres, cum eadem quantitate aquae florum chamomillae et cum natro sulphurico et manna ana unciam unam, et tria clysmata emollientia applicanda curavimus, sed alvus restabat clausa, et venter magis expansus et flatibus repletus, quibus anxietates movebantur, sed non admodum dolens reperiebatur. Die tertio praebiti sunt pulveres, ex

calomelanos granis duobus et sacchari confecti, secunda quavis hora, per vices cum emulsione, iam antea commendata, et clysmata duo applicata sunt, sine ullo fructu; sed cum pulveres vomitum cierent, ab illis quarto die erat abstinendum; cum vero nulla adessent neque enteritidis signa (nam praeter ructus et maiorem ventris expansionem et dolorem ob obstipationem in regione coli descendentis, nullum, quod ad veram intestinorum inflammationem referri posset, adfuit signum), neque herniae incarceratae symptomata: concludendum erat, torporem nimium tractus intestinorum, nisi eorum intussusceptio causam huius obstipationis brevi letalem praeberet, hanc alvum obstructam producere; quare iam pulvis ex radice rhei, floribus sulphuris et kali sulphurico commixtus ad cochlear minus omni bihorio dedimus et repetita applicari clysmata iussimus. At vero nunc augebantur dolores et exoriebantur vomituritiones et ipse vomitus; quamvis ne nunc quidem enteritidis symptomata sese manifestarent, tamen verendum erat, ne tandem inflammatio in ipsis intestinis et subito gangraena nasceretur; quam ob rem a pulvere magis irritante iam abstinuimus, et dedimus denuo emulsionem seminum papaveris cum duplici salis anglicani dosi, qua, cum per diem quintum obstipationis, omnino

exhausta esset, tandem die sexto copiosae evenerunt sedes, quae primum faeces exsiccatas, deinde vero massam pultaceam educebant; quibus peractis, omnia, quae nos turbaverant, symptomata evanescebant. Mulier haec, quae septimo die a febris exortu correpta erat phlegmasia alba dolente extremitatis dextrae, post duodecim dies, victa iam ante hebdomadem obstipatione, eundem in sinistra extremitate perpessa est tumorem, qui rursus post duodecim dies penitus desiit.

(1) Opio, quod a plerisque recentiorum de phlegmasia alba dolente scriptorum ad sedandos vehementes et intolerabiles dolores maxime laudatum et saepissime adhibitum reperio, numquam usus sum; nam primum ab illo abstinuimus, quia in exordio morbi inflammatorii fere numquam cum aliquo fructu adhibetur; deinde in provectiore mali stadio ad remedia opiata non confugimus, quia amplius, fractis per medelam antiphlogisticam tam vehementia inflammationis, quam doloribus eam comitantibus, eo non opus erat. Quamvis ambo, et opium et hyoscyamus, ad narcotica medicamina sint referenda, in eo potissimum differt ab opio hyoscyamus, quod, dum sedat nimiam nervorum sensibililatem, neque antea huius systematis actiones exauget, neque omnino vim excitantem exercet in vasa sanguifera, qui uterque effectus in opii usu semper observatur. Quare fieri non potest, quin noceat opium in primordio morborum vere inflammatoriorum, cum extractum hyoscyami, adeo dosibus largioribus porrectis, in eodem morbi stadio iuvet; quam ob rem etiam in phlegmasia hac grana eiusdem duodecim ad viginti quatuor per nycthemeram a nobis data sunt.

(2) Mercurius dulcis a multis medicis, veluti Trye, Hull, White, Callisen, Casper et aliis adhibitus est, sed non eundem, ac nos, ex eius usu perceperunt fructum, cum ab illis aut simul alia remedia, vel excitantia, vel naturae morbi prorsus

non aptata, adhiberentur, aut porrigeretur mercurius dulcis in connubio cum opio, quod sua vi tum stimulante, tum alvum obstruente, iniquum habet effectum.

(3) Omnes fere scriptores commendant, ut ducatur saepius per diem alvus, id quod vel per kali sulphuricum, vel per cremorem tartari vel per alia salia perfecerunt, ut Mauriceau, Puzos, Levret, White, Camper et alii, sed a nemine eorum annotatum est, utilitatem harum evacuationum alvinarum in eo potissimum quaerendam esse, quod copiosioribus sedibus maior materiei lymphaticae copia evacuetur, quo fit, ut vasorum lymphaticorum irritatio per antagonismum diminuatur, et eorum vis absorbens labefacta exaugeatur.

Sic secretionibus alvinis promotis per plures dies, dolores locales et febris deminui solebant, ita ut die quinto plerumque ab uso calomelanos abstinere possemus, quamvis salia et manna ultra cum fructu adhiberentur, quibus nunc vel infusum radicis valerianae, vel aquam menthae piperitae, vel spiritum salis dulcis, vel denique tincturam castorei plerumque addidi, prout res postulabat; donec tandem corroborantia, ut radix calami aromatici, radix caryophyllatae, extracta amara, tinctura rhei et vinosa et amara, rarius vero cortex peruvianus in usum vocari possent. Haec vero medicamenta maiorem ad corroborandum corpus habebant effectum, si semper ita propinabantur, ut simul alvum solverent, quare fere semper unciis sex medicinae corroborantis addidi salis mirabilis Glauberi drachmam vel unam, vel duas, vel plures, prout facilius aut difficilius excretio alvina promoveri posset.

Pertractatis sic nostris aegrotantibus, plerumque die primo iam febris et dolores paululum remiserunt, et die quinto ita iam deminuti sunt, ut febris paene evanesceret et dolores non amplius lancinantes persentirentur, quamvis partes tumefactae adhuc nimia essent sensibilitate praeditae et dolorificae. Post sextum diem saepius tumor ipse decedere coepit, et hebdomade post interdum plane iam disparuit, nisi, causis faventibus, restabat chronica harum partium intumescentia.

Numquam observavimus largiorem urinae secretionem (1), cum tumor decedebat, quamquam utique abeunte febre criticum in lotio animadvertebamus sedimentum, quare etiam nobis visum est, remediorum diureticorum usu (2) in hoc morbo, si acute dicurreret, non opus esse, neque etiam diaphoetica a nobis laudari possunt, cum plurimae aegrotantes sudoribus maduerint, qui optime et cum magno levamine sub usu remediorum alvum ducentium evanescebant.

(1) Conferatur Casper in tertia morbi historia, loc. cit. pag. 64.

(2) Diuretica magis ob similitudinem huius morbi cum oedemate pedum laudata credimus, quam ob causas e natura morbi depromptas; sic commendat Westberg, loc. cit. pag. 6., cremorem tartari et tincturam digitalis, sic alii medici vel haec vel alia praescripserunt remedia diuretica.

Si vero alteram extremitatem, decedente alterius tumore, haec inflammatio adoriebatur

tum plerumque recrudescebat febris iisdem fere, quibus antea, symptomatibus, quae simili successu a nobis eadem ratione pertractabatur, et ne semel quidem ab hac medendi ratione recedere coacti sumus, quamvis ob vires iam magis labefactas et ob maiorem aegrotantium debilitatem tum remedia alvum ducentia parciore dosi essent porrigenda, et mox corroborantia iis adiungenda.

Interdum, ut iam in descriptione huius morbi monuimus, abit haec inflammatio in statum chronicum, ubi chronica partium adfectarum intumescentia, plerumque tantum in pede et anticrure, restat, quae, quamvis non plane oedematosa, tamen magis ad naturam hydropicam vergit. Quae cum ita essent, adhibuimus praeter apta remedia localia, de quibus mox agam, interdum etiam medicamina hydragoga et diuretica, praecipue vero tartarum boraxatum et infusum foliorum digitalis, sed plerumque incassum, cum saepissime aliae simul adessent causae, vel in vitae genere vel in constitutione aegrotantium positae, cur haec intumescentia non facile removeretur. Ceterum hîc non tacendum est, nisi in quinque prioribus aegrotis, quae a nobis curatae sunt, hunc tumorem non restitisse chronicum, cum in decem, quae posthac nostro auxilio traditae erant, nulla remanserit intumescentia, cuius

rei ratio in eo certe potissimum posita est, quod medendi methodus, quam secuti sumus in prioribus huius mali exemplis, minus naturae mali erat adaptata, quam in posterioribus, in quibus ad unum omnibus secundum methodum, modo expositam, opem tulimus. Tamen non est, quod negemus, alias etiam ad hanc chronicam intumescentiam producendam non nihil contulisse causas, nam prima mearum aegrotantium, simulac lecto surgere potuit, negotia domestica conficere cogebatur; secunda, quae erat temperamenti iracundi, ob turbas et rixas domesticas longum experiebatur convalescentiae stadium: tertia, quae iam phthisi pulmonum incipiente laborabat, carebat viribus, quare ob debilitatem maiorem universalem debilitas localis non facilis etiam diu erat sanatu; quarta, nimium iam diu spiritum vini amans et ebriositati dedita, magis simul, quam par est, membrum debilitatum tum ingrediendo, tum inter labores domesticos intendebat; in quinta denique, virgine sedecim annorum, post menses sex, adhibitis fasciis, quibus membrum involvebatur, hic tumor omnino evanuit, et in hac postrema contenderim, sub meliore medendi ratione nullum fortasse tumorem chronicum sese efformaturum fuisse.

Efformatio haec rara abscessus lymphatici in tumore nihil impediebat curam internam et

ne multa quidem medicamina externa requirebat, gangraenam vero, quam semel in genitalibus et in perinaeo rupto deprehendimus, remediis solitis et internis et externis abstergebamus.

Ad curam externam quod attinet, eam etiam simplicem et magis exspectativam, quam activam adhibuimus.

A vesicatoriorum usu, maxime laudato (1), omnino fere abstinuimus, duas ob causas, primum, quia iis non opus fuit, deinde, quia eorum applicatione dolores externi moventur, quibus irritatio iam nimia nervorum augeri potest. Tamen non contendam, vesicatoriorum usum semper inutilem vel noxium esse, nam exstant certe exempla, ubi sanatio huius tumoris maxima ex parte applicatione vesicatoriorum peracta est. Ubi vero applicatio vesicatoriorum externa maiorem afferebat utilitatem, ita ut statim post cessarent vehementiores dolores, certe, opinor, apposita sunt mature et inter primum dolorum exortum, quo factum est, ut vi eorum contra stimulante inflammatio nascens aut tolleretur, aut saltem deminueretur; ubi contra serius applicabantur, non idem ad deminuendam inflammationem in systemate lymphatico valuisse videntur, et saepius certe sine ullo fructu et cum maximo aegrotantium incommodo adhibita sunt. A me ipso

certe apud duas aegrotas, in quibus inflammatio localis iam penitus una cum tumore erat efformata, incassum vesicatoria in forma vittae transversae circum genu ad latus externum et anticruris et femoris identidem sunt adhibita, ex quo tempore ab eorum usu omnino abstinuimus.

(1) Maxime commendantur vesicatoria a celeberrimo Boer, loc. cit. II. pag. 124., qui decem aut undecim aegrotantes ope vesicatoriorum, in forma periscelidis circa genu positorum, intra duodecim horas se sanasse contendit. Praeterea ea laudata reperio a Sankey (cf. Casper loc. cit. pag. 48.) Albers, (cf. Hufelands Jour. 1817. Febr. pag. 17.) et Wyer (cf. ibidem Juny pag. 58.) et ab aliis. Casper vero, ut nos, frustra ab eorum usu auxilium promissum exspectavit. (cf. loc. cit. pag. 53. et 60.).

Simulac dolores hunc tumorem antecedentes exoriebantur, curavimus, ut partes affectae vel obtegerentur sacculis calefactis, furfurum triticeorum vel secalinorum plenis, vel in eos involverentur. Ubi vero inflammatio non tam vehemens adesse videbatur, sacculi hi speciebus discutientibus, ex floribus chamomillae, sambuci, herbis menthae crispae et melissae similibusque paratis, vel speciebus pharmacopoeae Borussicae aromaticis implebantur. Quibus per diem applicatis, magnum iam ex illis acceperunt aegrotantes dolorum levamen, quapropter conclusimus, hanc vasorum lymphaticorum inflammationem eundem ex fomentationibus

siccis vel calidis vel aromaticis accipere fructum, quem ab iisdem in inflammationibus erysipelatosis observare consuevimus. Hanc sacculorum applicationem, etiam post dolorum exortum, efformato iam tumore, immo per totum morbi decursum persecuti sumus (1).

(1) Alii adhibuerunt fomenta humida et calida, sic Westberg usus est talibus fomentis ex decocto florum arnicae, chamomillae et sambuci, aceto vini et sapone paratis, quae saepius per decem dies repetebantur, loc. cit. pag. 7.; sic laudavit James Lofland involutionem totius membri in pannos laneos, aceto vini calido imbutos, (cf. The American med. Recorder Philadelphia 1818, Vol. II. Julius; Med. chir. Zeit. 1820, Bd. IV. pag. 204.); sic Heinr. Malcolm fomentationes ex decocto herbae absinthii et spiritu vini compositas (cf. ibidem, Octobre Med. chir. Zeit. ibidem, pag. 209.). Sed nos opinamur, phlegmasiam albam dolentem plerumque, ut erysipelas, non perferre fomenta humida, nam in unica saltem aegra, in qua calidas aquae saturninae fomentationes applicavimus, earum usu maxime exaugebantur dolores. Monuit etiam Boer, initio morbi nocere tum balnea tepida tum cataplasmata, itemque fomentationes calidas. Tamen non est praetermittendum, nos interdum, ubi abscessus lymphaticus in labiis pudendorum sese efformaret, cum maximo dolorum levamine usos esse fomentis ex decocto cicutae, sed solum ad ea loca applicatis, in quibus abscessus exoriretur. Neque ausim adhibere in hac inflammatione fomenta ex aqua frigidissima, quae, ut ab nonnullis in rheumatismo, arthritide et in erysipelate nimis fortasse audacter commendata, semel saltem etiam in hoc morbo adhibita sunt (cf. Starks Archiv. loc. cit. VI. pag. 64. et Casper loc. cit. pag. 49.). Denique frictiones siccae cum pannis laneis, quas institutas in commentario celeberrimi Casper, loc. cit. pag. 59., reperio, non fuerint laudandae, nisi cum morbus acutus iam in statum chronicum abiisse videtur.

Si dolores adfuerunt colici, in toto ventre persensi, partes affectae tum unguento antispastico Sellii, tum linimento ammoniato-camphorato, adiecta tinctura thebaica, inunctae sunt. Quibus remediis externis per quatuor vel quinque dies plerumque adhibitis, dolores vehementiores sedabantur et tumor extremitatum non amplius augebatur; tum praescripsimus saepius unguentum neapolitanum, quo regiones, in quibus maior vasorum lymphaticorum vel glandularum copia adesset, praecipue regionem inguinalem et latus internum femoris, accurate et diutius ad singulas drachmas inungi iussimus, quo facto magis etiam deminuebantur dolores, decrescente simul tumore. Interdum unguento mercuriali cum fructu regio lumbaris et poples, cum maior in his locis aderat dolor, inuncta sunt. Ceterum cavendum est, ne ptyalismus, aegrotantes maxime debilitans, exoriatur, quare plerumque post nonnullos dies ab usu unguenti neapolitani externo et calomelanos interno abstinendum est. Tum vel statim ab initio, ubi post applicationem sacculorum calidorum vel aromaticorum et dolores et tumor ita iam decrescere coeperant, ut unguento mercuriali uti non opus esset, vel postquam unguentum mercuriale per plures dies cum fructu, ita ut dolores sedarentur, adhibitum erat, linimenta, irritantia et quae

resorptionem fovent, praescripsimus, ut oleum hyoscyami coctum cum camphora et laudano liquido Sydenhami, linimentum ammoniato-camphoratum et similia, quorum applicatione dolor et tumor, qui adhuc restabat, plerumque in prima vel secunda hebdomade penitus evanescebat, praecipue si simul pes et anticrus fasciis linteis obvolvebantur, quarum usum per plures hebdomades commendavimus. Si tandem chronica harum partium restabat intumescentia, praeter remedia apta interna et praeter usum medicaminum externorum irritantium et corroborantium, veluti spiritum vini camphoratum, spiritum vini saponato-camphoratum et praeter iam antea laudata linimenta et fumigationes ex baccis iuniperi, succino, mastice, floribus lavendulae et similibus (1), eximie laudandae sunt fasciae circulares, quibus per menses et ultra partes affectae sunt obvolvendae, et quarum applicatione vel intumescentia tandem evanescit, vel certe incommoda eiusdem haud parum deminuuntur. Ubi in hoc morbo vel gangraena vel abscessus lymphaticus, qui uterque in pudendis ipsis tantum a nobis deprehensus est, efformatur, remedia ea adhibenda sunt, quae naturae horum symptomatum congruant, quae hîc uberius exponere superfluum est.

(1) Similes fumigationes ex baccis iuniperi, mastice, succino et sale ammoniaco instituit etiam Westberg, loc. cit. pag. 7.

Balnea vero tum tepida, tum salina, ab aliis laudata (cf. Casper loc. cit. pag. 61.) numquam adhibuimus.

Sic exposita medendi methodo, quam in pertractando hoc morbo rariore secuti sumus, speramus hanc simplicem et naturae morbi adaptatam aestimatum iri.

## *Morbi Historiae.*

### *Historia prima.*

Mulier, triginta annos nata, operarii uxor, Altonae Holsatorum, die vicesimo quarto mensis Februarii anni MDCCCXVI. sanam peperit puellam, quartam suam infantem. Inde octavo die, quarto mensis Martii, in auxilium vocatus comperi, partum molestum maiore infantis et fortiore contra perinaeum pressione, ceterum non abnormem fuisse. Febris aderat cum maxima virium iactura, pulsus debiles, parvi, molles, et aegra sudoribus diffluebat, sed lactis secretio neutiquam turbata erat et lochiorum fluxus non penitus cessaverat. Die proxime antecedente alvus semel erat soluta, hoc die iam quinque fluidae eveniebant sedes. Conquerebatur femina de doloribus vehementibus in praecordiis et in toto infimi ventris ambitu, sed praecipue in regione lumbari et inguinali sinistra, quae regio simul tumore erat affecta.

Perinaeum erat a vagina usque ad anum in longitudine sua ruptum, in vulvae ipsius, eximio modo tumentis et extra rubore saturatiore suffusae, labio laevo conspeximus bullam nigram, gangraenosamque et interna vaginae superficies et rupturam per perinaeum penitus gangraena erat correpta, atque sub hac gangraenosa superficie pus, haudquaquam laudabile, secernebatur. Simul ambo labia pudendorum, praecipue vero labium laevum, admodum tumefacta invenimus. Re pro viribus perpensa, praescripsimus victum tenuem et potum, ex avena excorticata paratum et ad usum internum

℞. *Aq. menth. pip. unc.* VI.
*Spir. Sal. dulcis* ʒIß.
*Syrup. cinnamom. unc.* I.
*S.* omni hora sumatur cochlear unum.

Simulque curavimus, tum venter ut inungeretur saepius linimento volatili camphorato cum laudano liquido Sydenhami, et fomentaretur calido florum chamomillae infuso, tum ut in genitalia fierent plures quotidie iniectiones et imponerentur illis et perinaeo rupto fomenta, utraque ex infuso herbae scordii et florum chamomillae parata.

Cum die quinto mensis Martii vespere revidissem aegram, inveni illam in statu multo peiore, summa virium iactura cum sudoribus vehementibus colliquativisque aderat, quamvis

dolor et tumor in regione lumbari atque inguinali paululum iam remisissent. Quare praescripsimus decoctum chinae et grana duo phosphori in aetheris sulphurici drachmis duabus soluta, ad decem guttas secunda quavis hora sumenda, cum externorum medicaminum usu coniuncta.

Die sexto mensis Martii melius iam mulier se habuit; febris accessus minus vehemens erat et sudores deminuebantur; dolor in lumbis et in inguine erat idem; in vulva et in perinaeo vero ea, quae gangraena erant correpta, a sanis partibus subiectis sese separabant, ita ut nihil obstaret, quin totam laminam vulvae internam et superficiem perinaei rupti, gangraena affectas, digitis et forcipe minore extraheremus; quo facto vulnus obligandum curavimus bis per diem linteis carptis unguento, parato ex unguento de althaea et de styrace, ãa unc. I cum camphorae subactae drachma dimidia, obtectis, simulque, quae in usum internum et externum praeterea praescripta erant, ultra adhibenda.

Die septimo mensis Martii aegram melius se habere, et febrem cum sudoribus decrevisse gavisi sumus; dolor in inguine et regione lumbari minore gradu aderat, vulnus purius, frustulis telae cellulosae nonnullis purulentatione expulsis, invenimus et interiorem vaginae

partem, magis absconditam, et quae nunc primum, inflammatione et intumescentia harum partium valde deminutis, inspici posset, repperimus sanam, quare nullam praescriptorum medicaminum fecimus mutationem.

Die octavo mensis Martii, febre paullulum modo aucta, dolore atque tumore in regione inguinali et lumbari sinistra iam penitus cessante, conquesta est femina de dolore vehemente, per totam extremitatem inferiorem sinistram propagato, una cum aliqua membri intumescentia, ita ut ne tactum quidem digitorum et lodicis tolerare potuerit. Jam solutionem phosphori in aethere non amplius propinavimus.

Die nono mensis Martii, febris accessibus non amplius auctis, iam in immensum intumuerat totum membrum ab inguine usque ad digitos pedis, tumore non correptos, ita ut ambitu illud duplicatum forsan diceres, et ob dolores, neutiquam deminutos, intolerabiles, amplius moveri non posset. Tumor, colore albido et nitido praeditus, tamquam pinguedine leniter inunctus, impressiones digitorum non retinuit, sed erat tensus, et oedemate pedum durior et calidior. Dolores in hypochondriis et infimo ventre, sicuti in genitalibus, non amplius tumentibus, iam penitus remiserant. Quare iussimus praeter decoctum chinae

ultra sumendum et praeter unguentum, die sexto mensis Martii ad obligandum vulnus praescriptum, involui totum membrum in saccos, ex furfure triticeo paratos, saepius calefaciendos.

A die decimo ad duodecimum eiusdem mensis usque, morbi symptomatibus manifesto deminutis, febris paene evanuit, quamvis ambitus cruris sinistri nondum decrevisset. Cum vero alvus per biduum non esset soluta, usu decocti chinae intermisso, porrecta est solutio mannae cum sale mirabili Glauberi, qua sumta die sequente plures evenerunt sedes molles, pulti similes; et iam iterum cortex peruvianus in usum est vocatus. Ambitus pedis, qui die tertio decimo mensis Martii adhuc idem fuerat, iam die quarto decimo una cum doloribus deminutus visus est; vulnus in perinaeo et in labiis pudendorum, carnatione pura repletum, consanescere coeptum est et solis linteis carptis obligandum fuit; alvo vero iterum constipata et viribus iam instauratis, praescripsimus pulveris radicis rhei drachmas duas, cremoris tartari drachmas quinque et seminis foeniculi drachmam unam, quater per diem ad cochlear unum minus sumendas.

Doloribus a die quintodecimo ad diem undevicesimum mensis Martii usque in dies una cum tumore decrescentibus, et motibus consuetis

membro redditis, accidit, nulla causa noxia antecedente, nisi forte refrigeratione, die undevicesimo, ut altera, dextra extremitas iisdem doloribus et eodem tumore, qui antea in sinistra affuerant, corriperetur, ita ut iam neque regi neque moveri posset, et femina, quae iam in cubiculo obambulare coepisset, denuo lecto detineretur. Sequente die tumor cruris dextri iam illum, quo antea sinistrum correptum erat, et ambitu et doloribus aequabat.

Tumore et doloribus per quatuor dies eadem vehementia insistentibus, die vicesimo quarto mensis Martii levamen aliquod persensit mulier, satis iam malo vexata, et intumescentiam paullulum deminutam conspeximus. Hoc morbi spatio vicissim usa est aegrota tum decocto chinae, tum remediis, leniter alvum ducentibus.

In fine mensis Martii satis bene iam valuit femina; nihilominus tamen aliqua amborum pedum intumescentia, dolorum non plane expers, remansit, quapropter eos fasciis linteis involvendos curavimus, et cum primis mensis Maii diebus postrema nobis data esset occasio huius aegrae visitandae, invenimus illam, ceteroquin sanam, sed pedes ambos a digitis usque ad suram adhuc tumentes, qui tumor praecipue augebatur, si saepius et longius, quam par est, pedibus insistere et

ingredi coacta erat mulier haecce pauperrima; sorte iniqua nimium vexata.

*Historia secunda.*

Puellae, sedecim annorum, lanii filiae, Elmshorniae Holsatorum, quae per tres iam annos recte erat menstruata, constitutione magis tenera, quam robusta, gaudenti, tamesti nullis, praeter infantiae communes, morbis fuerat obnoxia, accidit primis diebus mensis Maii anni MDCCCXIX., ut, cum veheretur curru, dum fluerent menses, everteretur cum illo. Quamvis vero a lapsu nullum accepisset neque malum, neque vulnus, statim tamen cessaverunt menses, et biduo post conquesta est de doloribus in inguine lateris sinistri incipientibus, per totam extremitatem sinistram lancinantibus, una cum aliqua totius membri intumescentia.

Die sequente ad aegram arcessiti invenimus illam febre, quamvis leniore, detentam, linguam sordidam et alvum clausam; tumor adauctus, doloribus vehementioribus comitatus, erat tensus, splendide albidus, praecipue in sura, maxime tumescente; in inguine et in poplite maiorem, praesertim sub digitorum tactu persentiebat dolorem, et glandulae inguinales erant magnitudine aliquantulum auctae

et sensibiliores. Jam de efficacia vesicatoriorum in hoc malo pluribus scriptis edocti, duo vesicatoria ad latus externum cruris supra et infra genu, magnitudine et forma consueta, applicari iussimus, praeter quae tum involutionem totius membri in sacculos, furfure triticeo et speciebus aromaticis repletos, tum ad usum internum pulverem, ex radice rhei et cremore tartari paratum, praescripsimus.

Per hebdomadem fere idem membri affecti status perdurabat, tumore non amplius crescente, et doloribus neque imminutis, neque auctis, et ex repetito vesicatoriorum usu ne minimum quidem percepit aegra dolorum levamen. Alvo iam saepius evacuata, et lingua a muco obtegente liberata, primum quidem dolor in inguine, una cum tumore glandularum, evanuit, tum ambitus femoris imminutus apparuit, sed, dolore poplitis quamvis minore, tumor anticruris et pedis restabat, at non amplius inter tactum digitorum aeque sensibilis, tensus quidem et sine ulla impressione digitorum remanente, calore vero in illo decrescente. Quibus observatis, praeter parciorem evacuantium usum, et praeter sacculos speciebus aromaticis impletos, ordinavimus spiritum vini camphoratum, cum aqua menthae piperitae dilutum, ad lavandam partem tumentem, et post aliquot dies, ceteris remediis

omissis, eam fascia lintea circulari obligari iussimus, interpositis bis per diem frictionibus cum spiritu vini camphorato. Quamvis nunc tumor magis magisque decresceret, tamen aliqua partis affectae intumescentia restabat, et quamquam menses suo tempore ad normam fluebant, per totius fere anni spatium auctus pedis et anticruris ambitus puellae erat molestus et tum demum evanescebat.

*Historia tertia.*

Vir, quinquaginta sex annorum, cerevisiae coctor, in vico Klostersande, prope Elmshorn, vitae sedentariae assuetus, temperamento phlegmatico-sanguineo, maxime obesus, ita ut trecentas libras civiles pondere superaret, qui ventrem maiore pinguedinis strato obtectum, maximeque propendentem et ad genua sedentis prominentem habebat, per plurium annorum spatium iam conquestus erat de spirandi difficultate sive dyspnoea, a nimia certe obesitate oborta, et de sudoribus profusioribus, a levissima causa, ut a calore conclavis paullulum adaucto, sub musculorum leni motione et temperie aëris in aestate, certe oriundis, quare tantummodo tibialibus, indusio et braccis linteis erat obtectus et ne tempore quidem hiemali calidiore egebat vestitu. Praeter haec

obesitatis incommoda valetudine gavisus est satis bona, donec hieme anni MDCCCXXI ad MDCCCXXII post refrigerationem haemoptysi corriperetur, sed ab hoc morbo post undecim dies per venaesectionem, caute institutam, et per usum nitri depurati cum extracto hyoscyami et postea elixirii acidi Halleri, in vehiculo mucilaginoso porrecti, liberatus est. Ab hoc inde tempore ad mensem Januarii usque anni MDCCCXXIII nullo, praeter consueta incommoda, vexatus est malo, cum sine vehementiore reactione febrili, sed adaucta dyspnoea, una cum alvi segnitie et ciborum imminuta appetentia et maiore siti, afficeretur tumore cruris sinistri a pede ad suram usque extenso, antecedentibus doloribus per totum crus vagantibus, et in poplite vehementioribus; tumor erat tensus, digitorum tactum non perferens, albidus, omnino non oedematosus. Post hebdomadem femur etiam aggressus est hic tumor, iam regione inguinali admodum dolente. Datis remediis refrigerantibus et leniter laxantibus, ex sale mirabili Glauberi et manna paratis, satis bene se habuit aeger, qui ob dyspnoeam auctam saepius lecto cubare non poterat, donec post tres hebdomades altera etiam corriperetur extremitas dextra, eadem ratione, ac sinistra. Hac in conditione miseram adhuc protraxit vitam ultra mensem, cum plerumque

die noctuque in sella sedere cogeretur ob dyspnoeam, quae tamen certe non erat symptoma hydropis pectoris, et ob dolores et tumorem amborum femorum, in quibus nec amplius ingredi poterat. Lenitis quidem symptomatibus localibus per inunctionem olei hyoscyami cocti cum camphora et per usum remediorum internorum leniter laxantium, cum neque medicamina expectorantia, neque analeptica, neque diuretica, neque roborantia, neque denique alia illi cum levamine propinarentur, tandem ex inopinato in fine mensis Aprilis eiusdem anni ex paralysi pulmonum mortuus est.

Sectionis cadaveris instituendae, quantumvis hoc cuperemus, nobis venia non est data.

### *Historia quarta.*

Femina, annorum undetriginta, nupta praeceptori infantum rusticanorum in vico Osterfeld, prope Elmshorn, optime valebat per primos dies post partum puellae bene formatae, tertii huius coniugii pignoris, die quarto decimo mensis Septembris anni MDCCCXXIII peractum, cum correpta est motibus febrilibus, qui per tres insultus typum quartanae intermittentis die XVII, XX et XXIII eiusdem mensis servabant, et tum die XXV cum typo tertianae redibant, nec amplius remittebant. Conquesta

est mecum, hoc die ad lectum aegrotantis adscito, et de morbo quaerente, mulier, de lassitudine universali et maiore debilitate. Febris adfuit gravior, antecedente minoris frigoris sensu, et calor ardens, cum pulsuum ictibus centum et octo in quaque horae minuta parte, appetentia ciborum nulla, tensio in hypochondriis, sapor amarus, lingua muco luteo obsessa, et per plures dies alvus non soluta; excretio lochiorum iam cessaverat et secretio lactis, in dies deminuta, non amplius ad saturandam teneram puellam suffecit. Cum sordes gastricae maxime in culpa esse viderentur, praescripsimus formulam sequentem:

℞ *Sal. mirab. Glaub. unc.* I
*Tinct. rhei. aquos. unc.* β
*Aq. laxat. Viennens. unc.* II
*Aq. flor. sambuc. unc.* V
*Syrup. mannae unc.* I

*S.* Quavis hora cochlear unum sumendum.

Sequente die, vicesimo sexto mensis septembris, febris, iam continuae remittentis typum servans, ita, ut quartana per hemitritaeum in hunc transformata esset, fuit mitior, calor deminutus, pulsuum ictus non amplius nonaginta, alvus quinquies soluta. Proximo die observavimus neque febrem, neque calorem auctum, neque pulsum acceleratum; ciborum iam adfuit aliqua appetentia, lingua, alvi solutionibus

non cessantibus, magis magisque sese expurgaverat. Jam in usum vocata est formula haec, minoribus praedita viribus purgantibus:

℞ *Sal. mirab. Glaub.* ℥VI
*Aq. laxat. Viennens unc.* II.
*Ap. flor. chamomill. unc.* VI
*Sp. Sal. dulcis* ℥Iβ
*Syrupi mannae unc.* I

*S.* Altera quavis hora sumatur cochlear unum.

Cum die secundo, undetrigesimo mensis Septembris, aegram convenissem, reperimus illam a febre liberatam, et, maiore debilitate excepta, satis bene valentem; quapropter ad roborandum corpus, sed ita tamen, ut post frequentiores, per plures dies continuatas, alvi solutiones, obstructio infensa non eveniret, sequentia praescripta sunt:

℞, *Rad. valerian. minor.*
*Rad. angelic.* $\widehat{aa}$ ℥III
*inf. c. aq. ebull. quant. suff.*
*colat. unc.* VI. *admisce*
*Sal. mirab. Glaub.*
*Tinct. robor. Whyt.* $\widehat{aa}$ *unc. β*
*Syrupi mannae unc.* I

S. Sumatur ut prius.

Satis bene aegra altero die, alvo bis soluta, se habuit. Sequente vero die, primo mensis Octobris, ad aegram denuo arcessitus,

primo vultus eiusdem intuitu videre potui, illam morbo vehementiore iterum correptam esse, mihique de causa inquirenti retulit mulier, sese iam die undetrigesimo mensis Septembris sensisse dolentem in labio pudendorum dextro tumorem, qui sensim auctus per diem trigesimum sub leniore febris accessu nocte sequente ruptus esset, et paullulum materiei puriformis effudisset, quae lintea inquinaverat; ad hanc tumoris inflammati rupturam accessisse febrem fortiorem et dolores vehementes tensivosque in regione ossis sacri et per totam extremitatem inferiorem dextram et praecipue in poplite eiusdem cruris, nec diu post exortum dolorum membrum in toto suo ambitu valde increvisse. Antecedebat haec symptomata febris vehementior, calor valde auctus et somnus iniquietus. Pulsuum ictus numeravimus centum; lingua iterum muco denso et luteo erat obsessa, et ciborum appetentia nulla; sedes duae tempore matutino evenerant; lactis secretio, quamvis deminuta, nullo modo cessaverat. Inspectione locali comperimus, rectum pudendorum labium maius adhuc tumere, minuto in illo doloris sensu, et invenimus in eius superficie tres bullas lividas, magnitudine pisi maioris, quarum infima rupta materiem limpidam, puriformem effuderat, et sinum parvum formaverat. Ab hoc inde

tempore, quo ruptus erat tumor, remiserant dolores in osse sacro et in pudendis, et in una nocte intumuit tota lateris dextri extremitas inferior mirum in modum ab inguine usque ad digitos pedis. Tumor, neutiquam oedematosus, neque impressiones digitorum retinens, undique aequaliter expansus, colorem splendide albidum induerat, et characterem phlegmasiae albae dolentis optime expressit doloribus vehementibus tensivis, per totum membrum expansis, ita ut tactus digitorum minime tolerari posset, una cum immobilitate universali. In regione inguinali nulli aderant glandularum lymphaticarum tumores, neque ab illis ad inferiores femoris partes sese extendebant funiculi lymphatici; attamen maior aderat dolor, valde pungens in poplite et in sura, quamvis et hîc neque glandulae auctae neque funes vasorum lymphaticorum digitis et tactu detegi possent. Calor in toto crure erat auctus, nulla tamen eiusdem regio, ne sura quidem maxime tumens, inflammationis signa rubore circumscripto et calore magis exaucto praebebat. Omnibus symptomatibus recte, ut nobis visum est, perpensis, praescripsimus decoctum herbae cicutae ad fomentanda genitalia et saccum impletum speciebus aromaticis pharmacopoeae Borussicae et floribus chamomillae, cui ut involveretur crus, curandum esset, et ad usum internum praecepimus:

℞. *Emulsion. semin. papav. unc.* IV.
*Sal. mirab. Glaub. unc.* I.
*Extract. hyoscyami gr.* I.
*Syrupi mannae unc.* I.

S. Omni bihorio unum est cochlear sumendum; dedimusque simul regulas diaeteticas consuetas: victus et potus sit blandus et praecipue ex fructibus acidis, semine hordei excorticato etc. paratus.

Die secundo mensis Octobris cum visitaremus feminam, morbo hoc rariore detentam, nobis relatum est, febris, iam continuae remittentis speciem prae se ferentis, accessum antecedente vespere minus auctum, et alvum septies solutam fuisse. Pulsuum ictus numeravimus centum; vultus fuit serenior, dolores capitis nulli, lingua minus sordida, quamvis de nausea et vomituritionibus interdum conquereretur aegrota; lactis secretio non amplius deminuta, ita ut infans saturari posset. In poplite non amplius dolores tam vehementes percipiebantur, sed pes et articulatio eius cum anticrure, in regione malleolorum magis iam tumebat, digitis minus quidem renitens, sed impressiones eorum neutiquam retinens, calorem hac in parte imprimis auctum sine ullo quidem rubore sentire licuit. Cum vero emulsio praescripta taedium moveret, et cum non amplius alvi frequentius ducendi urgeret necessitas, sequentia dedimus aegrotanti:

℞ *Sal. mir. Glaub. unc.* β
*Aq. flor. sambuc. unc.* IV.
*Extr. hyoscyami* 3β.
*Syrup. acet. citri unc.* β

*S.* Post horas duas sumatur cochlear unum.

Die tertio mensis Octobris febris, pulsuum ictibus nonaginta quinque in unaquaque horae minuta parte repetitis, et calore minus exaucto, in dies decrescebat; alvus bis erat soluta; nausea et vomituritiones evanuerant; lingua iam minus impura. Membrum, phlegmasia correptum, ubique valde dolens, amplius etiam intumuerat, ita ut, cum femur sanum in regione inguinali amplitudinem haberet octodecim pollicum, et crus ad suram undecim pollicum et octo linearum et ad malleolos novem pollicum, membrum, malo affectum, in iisdem dimensionibus emetiremur pollicibus viginti duobus, sedecim et undecim. Dolores exaucti sentiebantur in sura praecipue et iuxta decursum vasorum ad interiorem femoris partem. Diaeta et medicamina eadem.

Die quarto mensis Octobris febris fere eadem, et pulsuum eadem frequentia, alvus saepius soluta, lingua adhuc sordida. Mulier, quae vespere halecis salsi frustulum comederat, nocte sitiens, maiorem aquae tepidae quantitatem biberat et postea sudaverat. Debilitas erat maior,

quod mirum esse non potuit, cum somno quieto caruisset femina, cumque ciborum appetentia admodum iaceret, et dolores vehementiores magis magisque illam debilitarent; nihilominus tamen maior lactis copia secernebatur, ita ut mammae dolerent, si puella longiore temporis spatio illas non suxisset. Pudendorum labium dextrum iam magnitudine decreverat; bullae in illo siccatae evanuerant, et abscessus infra descriptus propemodum sanatus reperiebatur; totum crus ceterum amplius etiam tumebat, et latus eius interius, ab inguine ad genu usque, iuxta vasorum decursum, magis, quam die praeterito, dolebat, et ingratus maioris tensionis sensus in sura, nimium expansa, admodum erat aegrotanti molestus. Jam dedimus:

℞. *Sal. mirab. Glaub. unc. β*
*Aqm. flor. sab.*
*Ap. cinnamom. aa unc. II*
*Extr. hyoscyam. 3β*
*Spirit. sal. dulc. 3I*
*Syrup. mannae*
*Syrup. cort. aurant. aa unc. β*
*S.* Ut prius sumendum.

Vespere diei quarti mensis Octobris perterrita erat aegra, quae cerevisiam calidam comederat, angoribus pectoris et leniore syncope, quae affectiones saepius illam corripuerant. Cum vero postridie febris esset mitior,

pulsuum ictus minuti essent ad nonaginta, et cum haec graviora symptomata, adhuc mane, cum visitaremus feminam, perdurantia, tantummodo flatibus, spasmo retentis, quamvis alvus sexies esset soluta, et cerevisiae esu exortis, procreari viderentur, nullo modo illis perculsi sumus terrore, et feminae de periculo placatae ordinavimus, praeter remedia iam praescripta, nunc quarta quavis hora sumenda, tincturae castorei moscovitici drachmam unam cum spiritus salis dulcis drachmis duabus, quarum guttae quindecim una cum infusi herbae menthae piperitae calidi unciis duabus unaquaque hora essent hauriendae. Vespere aegram penitus placatam invenimus, anxietas et animi deliquium una cum flatibus iam evanuerant; calor magis iam decreverat, et pulsuum ictus non amplius octoginta quinque numerare potuimus; intumescentiam totius pedis paullulum imminutam et dolores in illo mitigatos reperimus; color erat idem, splendide albidus, et modo in sura, lecto fortius incubante, nonnihil rubore suffusus.

Die sexto mensis Octobris reactio febrilis non amplius animadversa fuit; pulsuum ictus fere septuaginta quinque adfuerunt, calor naturalis et animus laetus, lactis secretio ita aucta, ut post spatium trium horarum sugi necesse esset, ne molesta in mammis tensio exoriretur;

amplitudo membri tumentis ab inguine usque ad genu valde decreverat, dum in sura et ad malleolos idem ambitus tumoris adhuc aderat, dolores, in genere mitigati in iisdem regionibus, quibus antea, praecipue pone majora femoris vasa et in poplite, sub tactu digitorum vehementiores percipiebantur, et hoc die primum femur, quod per dies sex immobile iacuerat, paullulum moveri et in articulatione coxendicis flecti poterat. Praescripsimus, ut quater per diem utrumque remedium, mixtura, die quarto mensis Octobris ordinata, et infusum menthae piperitae cum guttis antispasmodicis, a muliere aegrotante sumeretur.

Die septimo mensis Octobris febris erat nulla, pulsuum numerus septuaginta, lingua purior; alvi excretio semel evenerat, et quidem ad normam; lactis secretio ad saturationem infantis sufficiebat; animus laetus. Membrum, morbo affectum, in toto suo ambitu magis iam deminuebatur; mobilitas maior aderat. Eadem medendi methodus; et simul curavimus, ut totum membrum involveretur fasciis linteis.

Die nono mensis Octobris mulier satis bene valebat; debilitas erat minor; pulsuum ictus sexaginta quinque; amplitudine membri in dies decrescente, mobilitas eiusdem augebatur, ita ut aegra nunc primum e lecto

surgeret, et passu lento, quamvis adhuc claudicante, ingrederetur, nitor albidus evanuerat; et cutis ipsa digitis rugari potuit. Ordinavimus iam infusum radicis valerianae cum tinctura rhei vinosa et spiritu salis dulcis.

Die duodecimo mensis Octobris aegra sana esse videbatur; et nil mali restabat, nisi aucta adhuc anticruris cum pede amplitudo, quam ob rem, hae partes ut diligentius fasciis linteis obvolverentur, curae nobis fuit, et interiecto adhuc hebdomadis spatio, mali vestigiis localibus penitus evanescentibus, aegram sanatam reliquimus.

*Historia quinta.*

Adiit me die vicesimo secundo mensis Septembris anni MDCCCXXIII. vir quidam, meum ut imploraret auxilium pro sorore sua, quae extra coniugium gravida facta, ante quinque hebdomades puerum pepererat. Retulit mihi, sororem per primam post partum hebdomadem satis bene valuisse, qua peracta, mortuo simul puero, febrem esse exortam, in qua secretionem lactis sensim decrevisse, et tandem omnino cessavisse, linguam esse obtectam, adesse nauseam et pertinacem alvi obstructionem, extremitatemque inferiorem sinistram ab hoc inde tempore mirum in modum esse

tumefactam cum doloribus vehementissimis, et tumorem se praebere calidum, albidum et tensum. Quamvis phlegmasia alba dolente correptam esse aegram, viginti quatuor annorum, crederem, nimia tamen aegrotantium copia me impedivit, quo minus visitarem statim eam, quae in vico Horst degebat, milliare ab urbe Elmshorn, in qua munere medici practici tum fungebar, distante. Praescripsi tamen emulsionem seminum papaveris cum sale mirabili Glauberi, extracto hyoscyami et syrupo mannae.

Die vicesimo quarto eiusdem mensis ad vesperam nobis relatum est, aegram esse debiliorem, et extremitatem, tumore affectam, magis etiam dolere; sed ne nunc quidem fieri potuit, ut eam statim inviserem, cum plures aegroti febre nervosa et cholera laborantes me ad mediam usque noctem detinerent, quare ordinavimus pulveres sequentes:

℞. *Calomelanos*
*Extr. hyoscyami aa gr.* I.
*Sacch. albi gr.* VI
*misc. fiat pulvis, dispens. doses* XII
*S.* Secunda quavis hora unus est sumendus; et simul, cum nondum alvi solutio evenisset, clysma emolliens applicari iussimus.

Die sequente, vicesimo quinto mensis Septembris, tempore matutino tandem ad aegram

festinans, inveni mulierem emaciatam, nimiisque doloribus exhaustam; facies erat leucophlegmatica; lingua muco luteo obtecta; pulsuum ictus nonaginta in sexagesima quaque horae parte numeravimus; cutis erat arida, sicca et calens; mammae, in quibus non amplius lac secernebatur, erant laxae; venter valde dolebat, quamquam, assumtis pulveribus ex calomelano et applicato clystere emolliente, plures eveniebant sedes per quas magna faecium exonerata est copia, et dolores tum in ventre tum in extremitate tumente magna ex parte remiserant. Extremitas inferior sinistra ubique vehementer dolebat, praesertim vero in regione inguinali, in poplite et ad malleolos; femur et inferior anticruris pars cum pede admodum tumefacta apparebant, cum contra sura et regio poplitis ambitu iam decrevissent, ita ut adspectu essent laxae et macilentae; quapropter totum membrum mirae deformitatis prae se ferebat speciem. Primo mali exortu, octavo post partum die, persenserat aegrota locum, eximie dolentem, in latere interno poplitis, et deinde genu et sura inter dolores vehementissimos intumuerant, et haud longe post femur, labium pudendorum sinistrum, et pes aequaliter ambitu crescere coeperant. Regio poplitis et surae, quae ante dies quatuordecim maxime et doluerat et tumuerat, ex illo

tempore magis doloris expers et tenuior facta erat, ita ut cutis in illa laxa dependeret, cum contra femur et inferior anticruris cum pede pars magis etiam tumida redderentur. Tumor ad malleolos et in pede digitorum impressiones pauxillum retinuit, et in regione inguinali plures glandularum tumores, magnitudine ovi, qui inter se per funiculos erant coniuncti, contrectare, et duritiem circumscriptam, nequaquam tamen rubore praeditam, deorsum ad tertiam usque longitudinis femoris partem, in latere eiusdem interno, pone vasorum deversum, in amplitudine duorum fere pollicum, digitis persequi potui, quae tamen tumoris contrectatio vehementissimos excitabat dolores. Ceterum intumescentia totius membri erat albida, quamvis squalore obtecta et calida, praecipue ad malleolos et in regione inguinali, sed nusquam ruborem vel signum inflammationis externae detegere potui, simul etiam totus doluit sub tactu venter. In hac conditione ordinavimus continuatum tum emulsionis tum pulverum usum, qui omni hora per vices assumi deberent, et imperavimus, tum ut totum membrum involveretur in saccum, furfuribus triticeis repletum et saepius calefactum, tum ut in regionem inguinalem, eximie dolentem, imponeretur sacculus speciebus aromaticis pharmocopoeae Borussicae implendus.

Die vicesimo septimo mensis Septembris mihi nunciatum est, mulierem melius se habere, alvum ter quotidie solutam fuisse, linguam sese muco expurgasse, ciborum appetentiam maiorem esse, febrem in dies magis decrevisse et dolorem paullulum iam remisisse, quamvis adhuc graviter doleret membrum; et aegram satis bene dormisse. Quare usum medicamentorum praescriptorum continuari iussimus, sed ita tamen, ut non amplius quatuor pulveres ex calomelane et extracto hyoscyami confecti per diem consumerentur.

Die vicesimo nono eiusdem mensis nuncium accepi, crus sinistrum multo minus iam dolere et tumorem magis decrevisse, contra iam a die vicesimo septimo crus dextrum dolere et intumescere coepisse, ceterum aegram bene valuisse. Iam ne ptyalismus promoveretur, mercurius dulcis non amplius porrectus est, et infusum foliorum salviae ut gargarismum ordinavimus, et iussimus simul involvi dextrum etiam crus in sacculum, furfuribus repletum, aegramque emulsione seminum papaveris cum sale mirabili Glauberi et extracto hyoscyami porro uti.

Die primo mensis Octobris aegrota iterum a me visitata est; febris minor erat, et lingua, quamvis purior, tamen muco crassiore erat obsessa, bis per diem alvi solutio evenerat.

Crus dextrum in sura nocte diei vicesimi septimi mensis Septembris dolere inceperat, tumque sensim totum membrum intumuerat, qui tumor in dies, sed non eum in modum, quam in crure sinistro, adhuc auctus reperiebatur. Inter incrementum tumoris in crure dextro, perspicue decreverat ambitus cruris sinistri, praecipue in poplite, in sura et in inferiore femoris parte. Tumentes glandulae lymphaticae, quae antea iam a me in regione inguinali sinistra contrectabantur, adhuc durae repertae sunt, in dextro crure contra minores in eadem regione et ad latus vasorum femoris comprehendimus tumores, maxime dolentes, qui dolor etiam ad malleolos vehementius ab aegra persentiebatur. Et venter integumentis etiam, infra umbilicum, tumoris particeps redditus visus est, et maiorem sub contrectatione ostendit sensibilitatem. Praescripsimus usum continuatum tum sacculi, furfuribus impleti, tum sacculi ex speciebus aromaticis parati, simul fomenta ex decocto cicutae in labium pudendorum sinistrum, adhuc valde tumens, imponenda, tum inunctiones regionis inguinalis et ad latus vasorum femoris ex unguento neapolitano et oleo hyoscyami cocti, āā uncia dimidia, et camphorae drachma dimidia paratas, et dedimus ad usum internum:

℞. *Sal. mirab. Glaub.* ℥VI
*Aq. flor. sambuc. unc.* VI
*Extr. graminis* ℥III
*Spirit. sal. dulcis* ℥Iß
*Extract. hyoscyami gr.* XIV.
*Syrup. mannae*
*Syrup. cort. aurant.* ana *unc.* ß

cuius remedii cochlear unum quaque secunda hora erat sumendum.

Die quarto mensis Octobris nobis rursus visitandae aegrae erat data occasio. Febris non amplius aderat; pulsus, adhuc irritatus, octoginta reddebat ictus; lingua sese mundaverat, et prodromi ptyalismi, qui iam die vicesimo nono mensis antecedentis animadversi erat, sub continuato gargarismi usu evanuerant; alvus per diem erat soluta. Ambo crura magis iam doloris erant expertia; extremitatem sinistram in omnibus dimensionibus magnopere ambitu deminutam et tumores glandularum minores et molles reperi; crus vero dextrum aequaliter adhuc tumuit, sed ambitum, quem sinistrum antea habuerat, nullo modo attingebat. Jam vero intumuerat regio ab inguine sinistro ad costas spurias usque, sine ullo cutis rubore, et sine calore in his partibus aucto, quo in tumiore, in medio inter cristam ossis ilei et costas spurias, ad lumbos versus, deprehendi funiculum filiformem, tensum, in quo nonnullae

in cute erant maculae rubentes sparsae, et qui sine dubio erat vas lymphaticum inflammatum. Usus remediorum externorum continuabatur, et ad usum internum praescripta sunt sequentia:

℞ *Fol. digital. purp. gr. β*
*Extract. hyoscyami gr.* I
*Sacch. albi gr.* VIII
*misc. fiat pulvis. dispens. doses* VI
*S.* mane et vespere pulvis unus est sumendus

℞ *Sal. mirab. Glaub.* ℨVI
*Aq. fontanae unc.* IV
*Aq. cinnamomi unc.* II
*Extr. hyoscyami gr* VIII
*Spirit. Sal. dulcis* ℨII
*Syrup. cort. aurant. unc.* I
*misc. Sign.* omni bihorio cochlear unum sumendum.

Die septimo mensis Octobris aegra melius se habuit; ambo crura valde ambitu decreverant; anticrus dextrum splendet adhuc; intumescentia inguinis sinistri multo minor; funiculus lymphaticus in regione lumbari minus contrectari potest; tumor ibidem deminutus. Pulsuum ictus nonaginta quidem numeravimus, quod tamen non febri, quae non amplius aderat, tribuendum, sed potius ad nimium conclavis calefacti calorem referendum erat. Pulveres ex herba digitali non amplius porrigebantur, sed

dedimus infusi radicis caryophyllatae uncias sex, salis mirabilis Glauberi drachmas sex, extracti hyoscyami grana quatuordecim, tincturae rhei amarae drachmas duas, cum eadem spiritus salis dulcis quantitate et syrupi mannae uncia, ad cochlear unum secunda quavis hora.

Die undecimo mensis Octobris aegrota magis magisque convalescit; regio lumbaris sinistra et crus dextrum paullulum adhuc dolent et tument. Jam ordinavimus:

℞. *Rad. caryophyllatae unc. β*
*inf. e. aq. simpl. quant. suff.*
*ad Colatur. unc.* VI.
adde
*Sal. mirab. Glaub.*
*Tinct. cort. aurant. aa* ʒIII
*Spirit. sal. dulcis* ʒI
*Syrup. cort. aurant.*
*Syrupi mannae aa unc. β*
*misc. Sign.* omni bihorio cochlear unum sumendum

Jam in dies melius sese habuit puella aegrotans, ita ut post nonnullas hebdomades fere sana relinqui potuerit.

## MONITUM EDITORIS.

*Liceat monere, commentationem hanc de phlegmasia alba dolente, gratiâ dumtaxat partis pathologicae, utpote omnium consensu vereâ excellentis, nostro opusculorum in delectu locum invenisse. Absit enim ut therapeuticae quoque parti subscribamus! Immo Medicorum Italiae neminem fore existimamus, qui auctori neglectum phlebotomiae et hirudinum non objiceret; qui formulas non nimis compositas inveniret; qui aethereo illo Sali Glauberi non irrideret, quique enormes extracti hyoscyami doses non vituperaret.*

FINIS

TERTII VOLUMINIS.

AYNOPT

E AE DOLENTIS

| | | | |
|---|---|---|---|
| un- m | In qua extremitat inferiore. | ruerint, or partis mor. | An intumescentia chronica remanserit. |
| | in extremitate sinis | r tumor ost dies | intumescentia in anticrure et pede ambarum. |
| | in extremitate dex | it post , maior nensem. | tumor parvus pedis et anticruris. |
| | in extremitate sini | lisparuit fere. | tumor pedis et cruris et dolores in hypochondrio sinistro. |
| | in extremitate sini | post primor post madem. | nulla. |
| | in extremitate sini | em. | nulla. |
| | in extremitate sini | XII. | nulla. |
| | in extremitate sini | dies. | nulla. |
| | in extremitate sini | em. | fere nulla. |
| | in extremitate sini | omades. | nulla. |
| er- s. | in extremitate dex | duos. | tumor ad genu extensus. |
| | in extremitate dex | tumor. | mortua est febre hectica post menses duos. |
| | | dies. | nulla. |
| | in extremitate sini | em. | tumor anticruris et pedis, qui post sex menses disparuit. |
| | in extremitate dex | re post es. | nulla. |
| | in extremitate sin | dis- t. | mortuus est paralysi pulmonum. |